

D I S S E R T A T I O
I N A U G U R A L I S M E D I C A
D E
E P I L E P S I A
Q U A M
C O N S E N S U E T U R A T O R I T A T E
M A G N I F I C I D O M I N I P R A E S I D I S
N E C N O N
I N C L Y T A E F A C U L T A T I S M E D I C A E
P R O D O C T O R I S G R A D U R I T E O B T I N E N D O

ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSIS
PUBLICHE DISQUISITIONI SUBMITTIT
G E O R G I U S S T A H L Y
H U N G A R U S N O B I L I S P E S T I E N S I S.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
maiori. die 11 Augusti 1832.

B U D A E,

T Y P I S T Y P O G R . R E G I A E U N I V E R S I T A T I S H U N G A R I C A E .

EXCELENTISSIMO

E T

ILLUSTRISSIMO

DOMINO SUPREMO COMITI,



STATIBUS ET ORDINIBUS

COMITATUS ALBENSIS

IN GRATAM MEMORIAM

IBI PRIMUM

PER

SINGULAREM GRATIAM OBTENTAE PROVINCIAE,

TANQUAM STRENUI OFFICII PIGNUS

HAS

LABORUM LITTERARIO - MEDICORUM

PRIMITIAS

D. D. D.

A U C T O R.

Sit mihi fas, audita loqui!



Egrandi caterva morborum illorum, qui homini insidiantur, *unum, Epilepsiam*, adumbrare conabor.

Epilepsia. Epilepsis ab επιλαμβανω. Alijs morbus caducus, major, convivalis, imputatus, viridellus, vitriolatus, selenicus, lunaticus, scelestus, foedus, insputatus, sideratus. Analepsia. Analepsia. Cadiva gutta. Apoplexia parva. Lues deifica. Caduca passio. Cataptosis. Epilentica passio. Epilenticus morbus. Eclactisma. Mater puerorum. Morbus sti. Valentis, sti. Joannis. Hiera nosos, Peditio. Germ. Fallsucht. Fallende Sucht. Schwere Noth. Jammer. Böse Staupe. Böses Wesen. Gall. Epilepsie. Mal caduc. Haut mal. Mal de terre. Mal de St. Jean. Mal des enfans. Angl. Epilepsy. The falling. Sickness. Hung. Nyavalya - törés. Nehéznyavalya. Belgis. Vallende Zichter. Epilepsia est apyretus, chronicus, et intermittens morbus systematis nervosi semet praeccipue per peculiaris indolis brevi tempore durantes convulsiones manifestans, quibus furentibus omnis amittitur sū conscientia, līvore suffusa turget facies, distrahuntur quaquaversus lineamenta faciei, in devia torquentur oculi, immobilis riget iris, os defoedatur per spumam.

Malum atrox antiquissimo jam aevo qua tale notum iratis Diis adscribi consvevit, hinc nomen morbi sacri, herculci, daemonicaci, astralis, comitialis; sontici.

Debebat attonitos reddere medicos haec facile omnium gravissima affectio, quae toties appareret sanum hominem aliquando vix ulla data perceptibili causa in adeo horridum statum coniicit, ut morti potius vicinior videatur, et tamen pauca post minuta sibi restitutus vix amplius vestigium exhibet morbi.

Infelix aeger, qui non physicas solum morbi sequelas, sed peiores longe morales experiri debet, — qui omni momento anxius paroxysmum metuit, et hinc Deorum templa, hominumque consortium fugere coactus, ipse gratus societatum hospes nunquam est, — seriis negotiis tractandis impar, saepe eas etiam quas possidet mentis animique dotes in exercitium ponere haud valet. Vitat matrimonium, ne infelix redditia conjux longe infeliores adhuc generet proles, sibi, aliisque oneri futuras, nam epilepsia multis in casibus haereditaria est.

Ut plurimum sexui sequiori infensior observatur, (Résumé des comptes des hôpitaux de Paris 1820, et Revue med. Tom. II.) Sub frigidiori coelo morbum frequentiorem notavit J. Frank, et experientia notum est, etiam canes, boves, equos, et setigeros epilepsia interdum laborave.

Symptomata epilepsiae alia observantur a) ante, alia b) sub, alia c) post paroxysmum.

a) Amittit aeger, cui paroxysmus proxime imminet animi sui hilaritatem, quaeritur de vertigine, peculiari sensuum externorum sensibilitate, non raro semet mente deturbatum esse putat, — alii congestiones versus caput, cephalaeam intensam accusant, — alii fugaces spasmos, tremorem, et universi corporis insolitum languorem experiuntur, — alii immediate ante insultum peculiaribus sensuum externorum hallucinationibus affliguntur, audiunt strepitum, vident objecta lucentia, experiuntur odores ingratios, saporem proprium.

Multi epilepticorum priusquam corruant, trahentes dolores inde a dissitis corporis partibus cerebrum versus patiuntur, foeminae praecipue circa uterum prodroma sentiunt, utriusque sexui propria sunt murmur abdominalia, tensio epigastrii, ructus inanes, salivae larga excretio, urina pallida, sensusque talis, ac si abdomen arcto cingulo constrictum haberent.

Non infrequens est aura epileptica, quae ventuli frigidioris vel scintillae electricae adinstar a quadam corporis parte usque encephalon protenditur, quod ubi attigit, aeger conscientia sui orbatur, insultusque epilepticus confestim erumpit. Consentiant autores in eo, hanc auram epilepticam decursum nervorum sequi, et epilepsiae, quae hanc auram comitem habet, causam non inique in illa corporis parte, e qua aura evolvitur, quaerendam esse. Pro hac opinione militat observatio illa, quod suscepta inter fontem aurae epilepticae et cerebrum inter deligatione nonnunquam insultus epilepticus praeverti potuerit. Contraria est Cullenii observationio (Ansangagr. t. pr. Arznl. B. III. S. 345), qua dieitur auram epilepticam tractum nervorum nequaquam sequi; — quis autem minorum quoque nervorum tra-mitem intemerata conscientia determinare ausit? — vel exiles nervi conducendo centrum versus malo non sufficerent? —

E serie epilepticorum nonnulli subito paroxysmo succumbunt, dum aliis tempus relinquitur, ut opem petere, semet societati subtrahere, considere, aut in lectum decumbere valeant. Vox mutatur modo diversissimo, aliqui enim cum anxio ejulatu, alii cum vero mugitu ordiuntur insultum, obmutescunt aliqui penitus. Si sedeant, vel in lecto decumbant approximante insultu amant nonnulli surgere, et obambulare, si stantes prodroma sentiant, consident alii, vel anxii decumbunt. Concessum fuit observare, quod impetigi-

nes (praecipue autem herpes) hinc inde ante paroxysmum prorumpant.

b) *Symptomata sub paroxysmo.*

Paroxysmus ipse ut — plurimum cum alto clamore inchoat, aeger amissa omni conscientia corruit, et aliquo tempore vix non totam seriem spasmorum tonicorum et clonicorum inde a mitioribus spasmis ad ferocissimas usque convulsiones percurrit. Rigida stat coma; rutili protruduntur oculi mox immobiles, mox in gyrum acti, semiclausae tenentur palpebrae, facies omni temporis momento alio, alioque perfunditur colore, ita ut cerei coloris vultus subito profundum livorem percipiat, et non raro variegata facies distorquetur per omnis ordinis muscularum convulsiones, mox spasmum cynicum, mox visum sardonium praeserentes. Apprimitur medio trismi mandibula inferior superiori, strident dentes imo et effringuntur, vulneribus conficiunt tumidam lingvam, et propellitur per oris labia copiosa utplurimum cruenta spuma. Odorem cadaverosum spumae huius fuisse adnotavit Tissot. Aliis in casibus distracta quasi luxata a superiori haeret maxilla inferior, et copiosissima profluit saliva. Aeger suspirat, ingemiscit, vociferans articulata quaedam et incondita.

Vasa capitis et obstipi colli turgent nimiopere, caput detorquetur utplurimum versus latus unum. Celerime alternant nonnunquam opisthotonus cum emprosthotono, omnium et singulorum muscularum spasti, digiti manus adducto illexoque pollice clauduntur firmissime, apud alios vero his manibus quantuntur magno cum impetu aliquae corporis partes. Etiam interiorum partium musculi multiplici modo abnormes exhibent functionum manifestationes. Pulsus sub initium parvus, contractus, paulo post durus, frequens, ordinis expers fit, intermitit, nonnunquam et

tactum fugit. Respirationem turbant variis generis spasmi, cor in palpitationem agitur; stomachus et intestina sursum, deorsumque convulsivo modo semet contrahentia ructus, ventriculo contenta, et ab infra involuntarie excrementa propellunt, una secedit lotium non raro et sperma, sudor inundat corpus, et oris, nasi, aurium, ani, vaginae, et urethrae ostia sanguinem plane profundunt.

Tetrae huius ab Esquirol tam fideliter adumbratae imaginis adinstar felici omne non semper decurrit epilepticorum paroxysmus, saepe longe mitiorem symptomatum seriem comitem habens: inopinate videtur omnis attentio aegri in objectum quodpiam converti, quibusdam in casibus sequuntur leves et partiales convulsiones muscularum oculi, labiorum, dorsi vel extremitatis unius, apud plures aegros os obvolvit spuma cruenta. Insultus talis per pauca minuta durat, et aeger mox sibi restituitur totus, continuans colloquium aut laborem incepit, eorum, quae percessus est, non meminit. — Rarissima inter exempla spectat luxatum sub insultu femur, quod Lieutaud vel fractum eadem occasione collum femoris, quod Duverney adnotarunt; frequentius obtinuit luxatio maxillae teste Portal, et muscularum rupturae referente Wilhaume (Journal de la Société de Médecine 1818 Octobr.).

Tempus medium durationis unius paroxysmi est inter 5 — 20 minuta, quamvis Van Svieten paroxysmum per 40 horas continuare viderit. Redeunt paroxysmi apud nonnullos die, imo et hora determinata, apud quosdam nonnisi de die, apud alios noctem eligunt; praestolantur apud aliquos causam excitantem, alios fulminis instar sine lege, sine ordine invadentes.

c.) *Status aegri post paroxysmum.*

Eximie hunc Aretaeus Cappadox verbis paucis sic describit: Caeterum cum ab morbo quiescunt, ab ini-

tio segnes sunt, capitis gravitate premuntur, langvidi, pallentes, animo consternati, ob lassitudinem morbi que verecundiam conflictantur. — Cessant convulsiones, et spasmi, respiratio fit liberior, cutis sudorem aequabilem calidum perspirare inchoat, sequitur brevis sopor, redeunte nunc sui conscientia accedit facies attonita, et pudor, titubant artus, oscitat sibi redditus aeger frequentius, et propitio numine de iis, quae acta sunt, scit — nihil. Placidus somnus reparat mox immane dampnum, quod corpus perpessum est, redit facultatum animae prior facilitas, et quae supersunt stigmata (echymoses, vulnera), disparent mox.

D i a g n o s i s.

Inter adfectus cephalicos, qui cum epilepsia confundi possent, propter aliquam formae analogiam notari prae aliis merentur: apoplexia, hysteria, eclampsia, tetanus, catalepsis, ephialtes.

Epilepsia est morbus intermittens, non raro regulariter periodicus spasmis tonicis, et clonicis, et insuper amissa sui conscientia et sensibilitate stipatus. — Ab apoplexia distinquitur, cum in hae spasmi raro, respiratio stertorosa autem constanter observetur, apoplexia periodos regulares vix unquam habet, et tertius insultus apoplectieus ut plurimum morte terminatur, quod de epilepsia minime valet. — Ab hysteria discernitur, cum in hac erga stimulos fortiores aliqua receptivitas cum aliqua perpessorum conscientia supersit. — Eclampsia non consuevit chronica esse, nec facile pluries unum idemque individuum prehendit. — Tetanus potius ad tonicos spasmos numerandus, cum mentis praesentia, et passim eum adacta sensibilitate decurrit. — Catocchus aequo non est chronicus morbus, et spasmis muscularum universalibus destituitur. — Ephialtes non-

nisi respirationem tentat, de quo ipsi aegri post insutum quaeruntur, convulsiones autem desiderantur.

Epilepsia simulata. — Fingunt epilepsiam non infreenter homines, qui servitio militari se subducere, misericordiam proximorum interpellare, vel ad instituta publica pauperum recipi cupiunt; interest, ut medicus hanc epilepsiam fictam noscat: semet in terram proiicientes gulam constringendo, vel respirum retinendo producunt livorem faciei, spumam oris sapo in ore detentus producit, convulsiones finguntur proterve, anaesthesia adparens voluntate firma, poenarumque metu prolicitur. — Non raro juxta fide dignas observationes in sceleratis idmodi individuis ficta iteratim epilepsia supplicii adinstar in veram abiit.

Haec, quae nunc exponere tentabo, praesidio sunt, ut non absque erroris discrimine fictam a vera discernere liceat epilepsiam:

1mo Absque circumstantiarum consideratione omni saepe in irreparabile sui damnum corruit epilepticus verus, dum fatum urget; eallide tempus, locum, adstantes eligit, artis reique peritos vitat ille, qui morbum simulat. Nec tamen ideo illi opinioni locus esse potest, omnem paroxysmum iisdem stipatum esse debere symptomatibus, nec temere decernendum, si e symptomatum caterva tinum aliudve desit, hoc ex motivo paroxysmum fictum esse: sunt enim nonnullis paroxysmi brevissimo tempore exantlati, desunt aliis convulsiones, non propellunt spumam nonnulli, et in uno eodemque individuo sibi invicem succedentium paroxysmorum semper alia, aliaque est forma atque intensio.

2do Anaesthesia adest plenaria, dolores vehementiores, odores fortiores, strepitus major, verbo nil in aegrum impressionem facit; tentanda igitur venit haec ficta vel genuina anaesthesia per vehementes et inexpectatas impressiones, acclamations, subito, et

inopinate productos, strepitus; huc quoque instillatio cerae hispanicae ardantis, et punctura medio acuum spectat. Minandum aegro curam radicalem esse operationem chirurgicam summe dolorificam, eamque sub insulto proximo effectui dandam esse.

3to Juvabit oculum exponere actioni lucis intensioris, sub vera enim epilepsia nullae succendent pupillae phases. Interim hoc experimentum in homine convulsionibus exagitato, cuius oculi quoque in orbita diverso modo notantur, admodum difficulter instituitur.

4to Unum ex optimis signis diagnosticis insultus epileptici constituit livescens vel nigricans turgescens faciei, quae subito disparet, et ejus locum, quamprimum convulsiones silent, pallor occupat. Hanc celerem vultus colorisque alternationem nullus epilepsiam frequentium unquam ita imitari novit, ut strenuo observatori fallendo sufficiat.

5to Sapo ore reconditus et spumae producendae non sufficit, et odore suo specifico facilime se prodit observatori. Et hoc probe notandum in multis epilepticis spumescentem hanc salivam nequaquam adesse.

6to Nulli morbo utpote turbatae licet vitae manifestioni deest aliquis symptomatum concentus, speciatim vero in epilepsia abnormiter mutatam respirationem, tumultuarios et validos cordis motus, antefatam vultus mutationem, cutis temperaturam variam, sudorem, convulsiones, soporem, spasmos, et langorem alternatim semet excipientes vix unquam aliquis mortalium ita imitari sciet, ut strenuus tranquillusque morbi scrutator dubio immertus haerere debeat.

7mo Cel. Marc dicit: adductum pollicem et flexos digitos nonnisi summa adstrictione solvi posse, solutos vero situm suum retinere; ille vero, qui morbum simulat, inepte pollicem digitosque suos celeriter coartare non neglit. — Sauvages sciscitando e puella se-

ptem annorum an auram epilepticam manifeste perceperit, statuit per illam morbum fictum fuisse. — Denique

9no Innumera adhuc sunt, quibus juvantibus, si ad illa medicus vere hoc nomine dignus attentus fuerit, non tantum veram epilepsiae naturam cognoscere licebit, verum quibus etiam protracta praecipue observatione, in auxilium vocatis una psychicis de homine notionibus concessum erit in quolibet speciali casu cum probabilitate medica decernere, an morbo vero tristissimoque laboret aeger, aut an protervo scelerato figmento proximorum misericordiam excitare tentaverit.

Duratio et effectus morbi.

Epilepsiae paroxysmi regulariter typici nequaquam sunt, nec duratio paroxysmi certo modo definiri potest. Terremur frequenter per prodroma epilepsiae, et En! paroxysmus sequitur nullus. Morbum deuteropathicum vix alter quisquam adeo patienter tolerat, ac epilepticus; nam iterata experientia docet: quod quisunque demum organismo accesserit morbus gravior, durante hoc epilepsiam obmutuisse. Vix unquam paroxysmo per vitam unico absolvitur epilepsia, ni laethalis fuisset. Annuos, menstruos, hebdomadarios, sed et diurnos paroxysmos collegerunt observatores. Presso pende auxilium propinandum erit illis, quos remissione vix accidente novus exercet paroxysmus. An lunae phases morbi gressum, redditumque gubernent, prout Morgagni putaverat? nescio. — Siderismus ad periodicum morbi decursum explicandnm aptum quidem foret remedium, sed innumeris in casibus epilepsia typo regulari caret, in alijs vero mox hanc, mox aliam periodum eligit.

In genere brevi tempore vix unquam absolvitur morbus hic dirus, in nonnullis extinguitur pubertatis, aut aliorum annorum climactericorum occasione; alios torquet ultimam usque vitae diem. Nec tamen hic unus est lacrymarum fons: obvium enim est, morbum tam horridum, tam pertinacem, adeo chamaeleonticum sui vestigia profunda nonnunquam nulla arte tollenda in organismo relinquere debere.

Pathognomonica symptomata epilepsiae omnia morbosae conditioni encephali debentur, Thomas Willis (de morbis convulsivis Cap. II.) dicit „caducus morbus omnis mihi est idiopathicus in cerebro“ et argumentis innumeris sanoque ratione idem probat Portal (in suis de epilepsiae natura, eandemque tractandi modo observationibus.) Nihilominus saepe excitatur epilepsia per morbosas partium a cerebro dissitarum affectiones, quibus feliciter sublatis epilepsiam quoque disparere viderunt observatores. Nulli vero dubio locus est et hanc sympatheticam epilepsiam in idiopathicam transire posse.

Impune epilepsiam vix quisquam fert, huic enim mentis fatuitas; illi memoriae oblitteratio, cunctis infâsti aliquid adhaeret; nec agmine paroxysmorum opus est, verum docente tristi experientia insultus unicus ad delendam psychen sufficit. Esquirol inter 289 epilepticos adnotavit 80 maniacos, et 56 fatuos. Portal frequentem epilepsiae comitem vidit animae facultatum paresin, et licet rarius supervenerint epileptici insultus, tamen marasmò aut plena mentis facultatum abolitione clausam conspexit scenam. Per observatores maxima dignitatis imo quotidiana experientia constabilitm habetur; saepe per epilepsiam longiori tempore durantem et vultum, et oculos; et temperamentum, verbo uno, hominem integrum physicum et psychicum e cardinibus suis deturbari; hilaris antea misanthropicus

nunc, placidus olim recentissime iracundus, et vehementer conspicitur, ex omni autem animi constitutione elucet metus, pudor, vitae taedium, desperatio. Minoris omnis sunt: remanens post insultum epilepticum strabismus, lateris gravius affecti residua vel debilitas, vel vagantes in eodem inferioris gradus spasmi, cardialgia, vertigo, murmura intestinalium, singulorum musculorum posthumae convulsiones. Gravius lunt, quibus cophosis, ahaurosis, alalia, paralisis, apoplexia remanet. — Ni experientia quotidiana comprobaret, — si obvium non esset, — ne mo me hercle! sibi persuaderet tales aegros tali morbo excrucitos; talibus sequelis exppositos; tamen vivere immo appetitu gaudere; morbo non urgente functiones omnes regulariter exercere, viros serla munera sua rite perficere, foeminas mensfluare; immo infelicitatem nonnullam morbi haeredem absque sensibili molestia utero gerere posse! — Aer medica novior ubique phlogosin detegere amat; hanc ut causale epilepsiae momentum assignare etiam non intermissit; si verum est id, quod per plurā saecula prorogata experientia docuit: quod encephali laesiones, aut dynamicae turbae manifestam hepatitidem per omnes suas dimensiones evolutissimam producere possint, dubio vacat ab inflammationibus, quae in abdomine stomacho ut potest, intestinalium gyris, aut in bilis scatturigine nidulantur, jure merito saepenumero epilepsiam derivari. Illud unicū milii proferre liceat: an non illa, quae occasione autopsiae cadaveris praegressata cerebri aut meningois inflammationem denotant, an inquam haec non potius ipsorum insultuum epilepticorum levi negotio explicantae sequelae esse possent? — Infelicissimo in easa durante insultu epileptico orco mergitur aeger; vel ideo cum nimis diu cohibitā respiratio innomis necessariam sanguinis mutationem chemicam impedit, vel ideo quod

cerebri functiones a vasorum pressione, vel rhexi eorumdem, aut ob nervorum totius corporis nimis violentas turbas tandem penitus silere debeant. Portal narrat casum disrupti sub paroxysmo epileptico cordis.

Divisio morbi.

Diversimode et vario sub respectu dividunt scriptores morbum caducum: nonnulli divisionem in epilepsiam, acutam et chronicam, aliis preferendam censem. Acuta epilepsia supervenit tempore illo, dum aeger morbo aliquo acuto, inflammatione, febre typhode, vel exanthemate aliquo acuto laborat, invadit sub vel post coitum, animi pathemata imprimis iram et terrorem, succedit eminenti refregerio aut mentis adstriictioni fortiori. Haec epilepsiae species plures paroxysmos raro numerat, ut plurimum, si primo alter adhuc succedat paroxysmus, laethalis fit. Jam Arctaeus adnotavit: „si acute invadit — uno die hominem perdere poterit, — quod si malo asvescat homo; non solum diuturnus verum etiam perpetuus.“ Hanc epilepsiac speciem cum eclampsia facile confundi, praecipue si dentitionis tempore superveniat, clarum est.

Observatoribus aliis magis congruum visum fuit epilepsiam spectato typo dispescere: hinc epilepsia atypica erratica, epilepsia typica periodica (saepe socia febris intermittentis) menstrua (frequenter catameniorum comes) aequinoctialis, annua etc. etc.

Epilepsia alia completa est, alia incomplete. In posteriori sensibilitas, et sui conscientia non perfecte extinguitur, vel id saltem per breve temporis spatium contingit, in genere symptomata tantum mitiora sunt. Logices principiis minime consonum est,

affectiones hystericas epilepsiae nomine salutare, quamvis in hanc non infreque ter degenerent. — Epilepsiam nonnunquam criticam, nonnunquam symptomaticam nuncupare oportebit. Haec posterior occurrit longe frequentius. Interim restituit nonnunquam revera epilepsia turbatam harmoniam elementorum vitae organicae, advehit organismo in normali statu constituto convenientes se et excretiones; hocque respectu jure merito critica nominatur. Jam Hippocrates docuit, febres quartanas diu durantes per epilepsiam sublatas fuisse. Et observationes recentiores fide dignae evincunt, post eruptionem epilepsiae: dysenterias, amenorrhoeam, menostasim, ulcera habituallia, febres, impetigines, haemorrhagias, imo et gravissimas processus vegetativi abnormitates disparuisse. — Epilepsia cerebralis aut abdominalis esse potest. Prioris causa occasionalis fundatur in encéphalo, et ab illis, qui naturam epilepsiae in prægressis mutationibus cerebri quaerunt, etiam idiopathica appellatur. Posterior illis potentius nocentibus invitatur, quae actionem suam in inferiore systematis gangliosi sphaeram nervorum abdominalium exerunt, et cum tantum secundarie, modoque symptomatico consensum systematis cerebralis provocet, etiam nomen epilepsiae symptomaticae obtinuit. Ad hanc posteriorem refertur quoque epilepsia extremitatum, in qua eminentes convulsiones extremitatum conspiciuntur. — Notum est epilepsiam hereditariam vel a dquisitam esse posse. Prior ut plurimum in gruente periodo pubertatis in apertum prodit, et subinde post aliquod temporis spatium sine artis medicae auxilio cessat (Löebenstein Lübel I. Cap. pag. 42.)

Recenso adhuc divisiones epilepsiae in: atonicam, traumaticam, inflammatorym, rheumaticam, arthriticam, metastati-

cam, larvatam, scrophulosam, carcinomatosam, syphiliticam, et complicatam.

Autopsia cadaverum.

E tam vario, tam obscuro, tam Proteiformi morbo extinctorum cadavera perlustrare nunquam intermisserunt medici, quin tamen casus desint, ubi nihil abnormis, aut ubi nonnisi facile praesagiendae epilepsiae sequelae potius, quam causae repertae fuere, quas inter sanguinea, et serosa extravasata, expansio, et turgor vasorum pertinent, quae saepenumero epilepsiae, junctaeque illi caput versus congestionis, et turbatae circulationis sequelam constitutunt. — Fuit nonnunquam volumen cerebri ab congestione sanguinis, vel seri aductum, parenchymate caeteroquin immutato. — Maximi momenti sunt mutationes ipsius texture organicae cerebri, quas inter induratio ejusdem, vel emollitio, aut dum hanc, vel illam portionem gas, vel serum opplet, vel transitus unius partis encephali in adipoceram praecipue adduci merentur. — Raro abs est turgor omnium vasorum encephali, et satis frequenter adnotantur rhexes vasorum sanguiferorum, in quarum sequelam sanguis mox in superficie, mox in ventriculis, mox ad basim cerebri extravasatur. — Qui membranae arachnoideae, et productionum ejus in ventriculos cerebri meminit, illi minime mirum videbitur multiplicis coloris, saporis, et diversissima quantitate repertum extravasatum serosum, cuius frequentia exempla collegerunt in hac sphaera meritissimi scrutatores Willis, Morgagni, Lieutaud, Tissot. — Obsidentur nonnunquam diversae cerebri partes, sed omnium praecipue choroidei plexus ab hydatidibus. — Fines centrales nervorum a tubere quopiam pressi,

aut ab exulceratione quapiam erosi saepenumero epilepsiae causae fuerunt. — Velamenta quoque encephali hinc inde ad generandam epilepsiam concurrere valent, dum partialiter indurantur, ossificantur, inter se invicem coalescunt, dum in luxuriantes fungos degenerant; dum sinus durae menyngis a nimia sanguinis quantitate ultra normam expansi, aut rupti, aut (rarius licet) abnormiter coarctati, imo obliterati ferme, et quasi in ligamenta mutati reperiuntur.. — In arthriticis praecipue individuis ad ossificationes nimis prona intima arteriarum membrana ossescit in cerebri quoque, menyngeumque arteriis, et hinc etiam epilepsia hinc inde orta fuit (an cum hoc vel propter hoc ??) — Ossa in substantia cerebri generata fuisse asseverat Hiller, negat Portal; — post cranii laesiones cum ossium fractura, depressione, et spiculis nexus, et in encephali sensilem substantiam immersas epilepsia frequenter enata, et nonnullis in easibus trepanum feliciter admoventis chirurgi manu sanata, quoque fuit. — Paucas ante hebdomadas interfui ipse obductioni personae antea epilepticae, conspexique ossis vespertilionum sellam turcicam ad summum usque gradum coarctatam, et hypophysin cerebri in massam cartilaginosam mutatam. — Debet originem suam epilepsia multoties malae aut obliquae conformatioi crani, exostosibus aut tophis interiora versus semet extendentibus, abnormi crassitiei ossium oranii, quarum indubie maxima (mea mente vix concipienda) novem pollices aequans ab Greding adnotatur. — Fomes epilepsiae persaepe in partibus a cranio longe dissitis reperitur: medullae spinalis, cordis, pericardii, pleurae, et pulmonum pathologicae mutationes testibus numerosis observatoribus frequenter ut unica epilepsiae causa repertae fuerunt. — In aliis epilepticorum cadaveribus ventriculus, hepar, lien, pancreas, sistema venae

portae, aut organa genitalia morbo affecta conspiciebantur. — Ex innumeris, quae sepulchreta anatomica continent, observationibus nunnillas recensere juabit: serum in cavo vertebrarum collectum, medulla spinalis mox normali durior, mox justo mollior cum vel sine carie vertebrarum non una vice epilepsiam produxerunt. Idem praestitit in specimine uno tumor nervum hypoglossum comprimens, pluribus vicibus culpanda fuit causa quaepiam nervum phrenicum, vel vagum, vel ischiadicum comprimens. Adsignat anatomico ut causas epilepsiae concretiones, vel tubercula pulmonum, eorumdem ultra modum distentas vomicas, cor hypertrophicum, arcum aortae facie interna ossificatum; vel ventriculos, parietes nimis tenues, stomachum inflattum, vel erosum; vel uterus volumine auctum, a nimio sanguine turgidum, ovaria inflammata, dura, scirrhosa; repertae fuerunt in epilepticis stricturae pharyngis vix stilum exploratorium transmittentes; in aliis vesica fellea cholelythis referta; in aliis hepar aut splen morbose mutata, in renibus vero mox calculi, mox hydatides. — Tenebris irrititam epilepsiae pathogeniam nequaquam illustrarunt negativa sectionum pathologicarum resultata: omni exceptione major, et multiplici respectu immortalis Van Swieten in notis suis commentariis aphor. 1076. clare dicit: causam epilepsiae adeo latere posse, ut nullis sensibus detegatur. Testis aequa gravis Morgagni epist. IX. artic. XV. sic decernit: „Neque enim praeterit fieri posse, vera ut causa nostros sensus omnino fugiat, cum in aliis morbis pluribus tum his praesertim, qui ad cerebrum attinent. Itaque nihil usquam vitii a perspicacissimis viris aliquando post epilepsiam vel idiopathicam fuisse repertum.“ His tamen non obstantibus quis mortalium Cel. Gall, et Spurzheim una computando praesumeret affirmare: adeo sibi

perspectam esse intimorem substantiam cerebri, ut ex ejusdem reddito jam spiritu investigatione cum certitudine aliqua dicere valeat, in hoc vel illo specimine omnino nihil fuisse mutatum; me hercle! cum epilepsiam subita conscientiae oblitteratio, vehementissimaeque convulsiones comitentur, non facile quisquam causam proximam alibi, quam in cerebro nervosi utope systematis centro quaesiverit; ventriculus hominis ex hyperemesi demortui, organa foeminae, quae insultu hysterico succubuit, saepe dempto levi rubore vix quidquam morbosi referunt, et tamen ibi residere et vehementer agere oportebat laethiferam causam. Quae-
rimus ergo cum antea celebrato Swietennio causam epilepsiae proximam semper in cerebro, affirmantes remotam in longe dissitis organismi humani partibus residere posse.

Aetiologya.

Momenta causalia, quorum actionem epilepsia insequitur, tot tantaque observata fuere, ut hic loci speciatimi enumerare justos dissertationis limites excederet; imo cum multa effectu, quo in producenda epilepsia agunt, primario convenient; cuncta hoc ex respectu ad quaedam generalia puncta reduci possunt, quae in sequentibus adduxisse sufficiat. Provocant adeoque epilepsiam:

1mo *Omnia, quae sensitatem; et irritabilitatem eminenter adficiunt, exagitant, aut tandem penitus exhaustiunt: sic in specie*

a) psychice: animi pathemata: gaudium, et tristitia nimia, concupiscentia sexualis effrenis, aut plane sperato eventu frustrata, timor imminentis mali, et quae his omnibus antecellunt, terror et vehemens ira consuetissimae sunt epilepsiarum causae. Sufficit

saepe jam animi commotio per phantasiam luxuriantem , per apathiam , aut idiosyncrasiam peculiarem producta; experientia enim teste adspectus , aut solum enarratio , et vivida descriptio insultus epileptici , imo nonnunquam consideratio aut injecta mentio nonnullorum objectorum (cum epilepsia , aut epileptico nullum secus nexus habentium , uti cadaveris , canis , catiti etc.) non raro primum huius morbi insultum produxerunt. Idem efficit porro nimia mentis adstrictio , imprimis diurna de eodem objecto meditatio , et quidem eo à fortiori , si simul somnus saepius , diutius , et violenter arceatur.

b) *somatico* : omnia , quae coenosthesin , aut sensus externos vehementius lassessunt , uti lux intensa , strepitus , aut fragor vehementes , odores nimium fragrantes , imo ob quādam idiosyncrasiam colores aut odores aliqui specifici , etiam mitiores ; sic agit titillatio protracta , imprimis in plantis pedum ; narratur plane casus feminæ , quae , cuti in qualicunque loco acula aut alio instrumento acuto vel leviter adacta , illico insultu epileptico corripiebatur. Plurimum tamen ad producendam epilepsiam hoc respectu valent : dolores intensores , diurniores , per quamecumque denum causam provocati ; sic exstant observationes epilepsiarum per céphalalgiam , odontalgiam , per ophtalmiam , aut otalgiam , per dolores colicos , per lithiasim vesicae felleae , urinariae , aut renum ; per dolores a partu diffici , per ulceræ dolorifica , per luxationes aut fracturas ossium , et harum repositiones ineptas , per laesiones , et vulnerationes vel maxime nervorum . (uti nonnunquam operationibus chirurgicis) , saepissime vero per cariem , concussionem aut compressionem cranii , et encephali , denique per dolores a corpore peregrino , aut in organismo morbose cuato , nervosæ adjacentes , vel ipsum cerebrum infestante enata-

rum. — Spasmos quoque initio topicos epilepsiae momentum excitans fuisse non rara docet experientia, unde et cuneta, quae spasmos movere valent, prioribus adnumeranda erunt, quo et saepius repetita insultus epileptici simulatio epilepsiam veram non raro producens, pertinere videtur.

2do *Vitae vegetativaे aberrationes plurimae, causaeque has producentes epilepsiae quoque generandae praebent occasionem: sic*

a) plethora universalis, congestiones et inflammations in organis nobilioribus, uti in cerebro, pulmonibus, hepate, utero, aut in ipsis nervis; porro inflammatio catarrhalis vel rheumatica in partibus cerebro vicinis; — sic

b) morbi febriles plurimi, in primis tamen typhosi et gastrici; — in exanthematicis insultus comparet brevi ante eruptionem exanthematis; in aliis decursu febris jam fere absoluto, in quo casu metastasis exorta epilepsiam generare videtur, prout et in illis, in quibus epilepsia exanthema disparens insegnitur; — febrim quoque intermittentem epilepsia non raro comittatur, aut ei cessanti, vel inconsiderate suppressae subit, imo saepe ipsa epilepsia nihil aliud est, quam febris intermittens larvata; —

c) affectiones ventriculi vehementiores a substantiis mole aut qualitate peccantibus ingestis saepe praebent occasionem epilepsiae generandae; — sic nocet repletio ventriculi cibis fors dyspeptis, ingurgitatio nimia, potulentorum praecipue spirituosorum; lac matris ira correptae, aut alia ex causa qualitative mutatum; abusus medicamentorum purgantium drasticorum et emeticorum, ingestio venenorum acrum, et maxime narcoticorum; — saburrae quoque in primis viis haerentes, verminosa praecipue, frequentissime causantur de producta epilepsia;

d) secretiones abnormes, aut normales qualitate, vel solum quantitate auctae, et morborum formae inde dependentes saepissime observantur epilepsiam producere; — sic exsudationes seri in cava corporis impensis in cavum crani, in specum vertebrarum, sic accumulatio substantiarum aëriformium morbōse secretarum in iisdem locis; sic hydrops et pneumatosis in diversis corporis partibus; sic morbi ex abnormi choloysi, ut hypochondriasis, et quodammodo et hysteria; sic depositiones urinae ad alia organa; etc. — huc pertinet et obesitas morbosa;

e) exeretiones abnormes, aut normalium augmentum vel retentio; — sic nihil frequentius producit epilepsiam, quam seminis jactura nimia sub coitu cerebro vel a pollutionibus nocturnis, sed quam frequentissime ab onanīa; aliorum quoque liquidorum vitalium uti sanguinis, aut lactis dispendium nonnunquam in causa fuit exortae epilepsiae; sic producunt porro eam diarrhoeae, dyssenteriae, diabetes, cholera, blenorragiae et haemorrhagiae, catamenia et lochia profusa, sudores nimii etc.; — ex opposito si excretiones normales, vel abnormes habituales supprimantur, aut quoquomodo cessent, non raro subsequitur epilepsia; sic sudore per refrigerium suppresso, catameniorum, lochiorum vel hoemorrhoidum fluxu retento, sic epistaxi habituali impedita; vel habituali venae sectione intermissa; sic seminis retentione, adeoque castitate nimia in individuis evacuationibus adsuetis; sic ulceribus et fonticulis habitualibus repente consanatis saepissime suboritur epilepsia;

f) cachexia syphilitica, serophulosa, rachitica et scorbutica sub suo decursu chronicō non semel provocant epilepsiam; idem valet de dyserasia herpetica, psoriaca, arthritica; tandem —

g) sub diversis periodis evolutionis, imprimis si justo citius ingruant et rapide decurrant, non infre-
quenter videre est epilepsiam, sic sub dentitione, sub
catameniorum comparitione. et pubertatis evolutione,
sub conceptione, graviditate, denique sub ingressu an-
norum climactericorum.

3to *Vitia organisationis* in diversis corporis par-
tibus sub sectione cadaverum inventa, in plurimis ca-
sibus causam fuisse antecedentis epilepsiae dubitari ne-
quit; verum cum plurima horum in intimis organisini
latentia, natura sua inaccessa omnem inquirentis sen-
sum durante vita iis affecti effugiant, nec sub lenta
sua ut saepe fit evolutione pathognomonicis quibusdam
signis se manifestent, facile perspicitur, rarissime cum
certitudine quadam ea causari posse, quamvis nulla
alia seu psychica, seu materiali causa detecta, epile-
psiam a vitio organico productam fuisse, non raro
juste suspicemur.

4to *Influxus cosmici, tellurici, et atmosphae-
rici* testante, multipli expeirientia, modo quidem no-
bis non satis perspecto, non ultimas agunt in genesi
epilepsiae partes, — sic influxus phasium lunae in epi-
lepticos vel vulgo cognitus est; sic jam Hippocrates
observavit, tempore vernali, aut nocte diem aestuo-
sum inseguente saepissime fieri insultum primum; sic
constat, aestate fervida insultus crebriores, et in re-
gionibus calidis epilepticos relative plurimos esse; idem
observatum de frigore nimio, et de tempore hyemali
frigore continuo saeviente; tempus pluviosum et hu-
miditas atmosphaerae secundum Zimmermann facile
provocat epilepsiam; porro plures adnotantur apud au-
ctores historiae epilepticorum, loco solum habitatio-
nis mutato, a diro hoc morbo liberatorum; imo dan-
tur loca, in quibus p[re]ae aliis eminenter plures in-
veniuntur epileptici, — quae omnia nisi ex peculiari

atmosphaerae constitutione, atque ex huīs in vitam telluricā reactione nobis hūdum incognita exsplicari non poterunt.

Momenta tamen nūc enumerata non in omni individuo, nec in eodem omni tempore excitant epilepsiam, nam ad illius quoque genesim praeter potentiam nocentem et dispositio peculiaris organismi requiritur. — Dispositio haec non raro est haereditaria. Parentes epileptici ut plurimum proles quoque epilepticas generant; nonnunquam filio epileptici sano recrudescit morbus in nepote. Exstant observationes, quae dispositionem in hunc morbum foetui per animi pathema matris, iram, terrorem, communicatum fuisse, magna cum probabilitate demonstrant. In genere timenda est haec dispositio in prolibus, quorum parentes potentissimis nocentibus epilepsiam secus facile excitantibus expositi erant; certius adhuc in illis, quorum cranium, aut partes aliae vitiō primae formationis ita comparatae sunt, ut encephalon, medulla spinalis, aut nervi quidam in exercitio functionis snae impedianter. — Saepius vero fit, ut dispositio nonnisi post nativitatem successive evolvatur. Conferunt ad haec omnia, quae systema nervorum vehementius adgrediuntur, debilitant, et ejus sensibilitatem exaltant, in quibus primum locum tenet educatio moralis; et physica prava, atque periodus dentitionis; et pubertatis. Augetur autem per omnes prius nominatos status morbosos, et eorumdem causas, qui in jam disposito ipsum morbum excitare valent, praecipue si hi diutius et repetito organismum infestent; accedit hinc non raro, ut eadem causae initio dispositionem, tardius ipsam epilepsiam provocent. Summam tandem relinquit dispositionem ipsa epilepsia semel perpessa. Quis sexus in epilepsiam proclivior sit id nūdum definitum, et sub

judice adhuc lis est , quamvis multi praetendant , morbum sexui sequiori infensiorem esse.

Ut aetiologia cuiuspiam morbi plena sit , causa quoque huius proxima designari debet. Negotium ubique arduum , in nevrosibus et speciatim in epilepsia ob incognitam nobis naturam agentis nervae tantis refertum difficultatibus ; ut huic adminus nihil certi de ea statui potuerit. Non desunt quidem medici omnis aevi , quiq[ue] celeberrimi , causam proximam epilepsiae definire volentes ; verum dum aliqui eam cum momentis quibusdam excitantibus frequentius obviis , uti vermibus , cranii et encephali structura abnormi etc. confunderent , alii vanas ex unilateralibus sui temporis dogmatibus pathologicis profluentes venditarunt pro re certa hypotheses . — Missa adeoque tædio plena sterilium opinionum repetitione , paucis perstringam ea , quae ex natura symptomatum , ex actione causarum excitantium aliunde nobis nota , e remediorum in epilepsia salubritate , ex effectu insultus proximo , verbo , quae ex plena morbi hujus historia aliqua probabilitate relate ad illius causam proximam profluere videntur , nosque in coordinanda therapia dirigere valent . — Morbum spasmis , qua phoenomenis essentialibus se manifestantem , nervorum esse affectionem , axioma pathologicum dici potest. Universalitas , et vehementia spasmorum sub insultu epileptico , omnisque sensualitatis sublatio clare demonstrant , universum sistema nervosum , etquidem unilateraliter ita excitatum esse , ut energia ejus omnis , quae sensualitati subtrahitur , unice in motum organismum conversa sit , quod iterum absque peculiari affectione partis centralis huius systematis fieri non posset . — Causam huius affectionis non semper in ipso cerebro , tamquam centro systematis nervosi , aut in partibus hoc immediate ambientibus haerere , ut fra-

tres Wenzel, aliive statuerunt, id vel ex eo patet, quod sub sectio*ne* cadaverum ex epilepsia demortuorum nonnisi in rarioribus casibus, ut plurimum epilepsiae haereditariae, tale quid inventum fuerit, cuius actioni epilepsia praecedens cum probabilitate aliqua adscribi posset, probat id porro distincta saepe aurae epilepticac ex aliis corporis partibus evolutio, et cerebrum versus excursio, atque non raro epilepsiae, post sublatam causam quamdam procul a cerebro latentem, emansio, ut post vermes expulsos, post caliculum exemptum, tumorem excisum etc. — Causa adeoque proxima in cerebro quaerenda foret; proctaretica tamen ut cel. Van Swieten monet, in diversissimis corporis partibus sedem habere potest, semper tamen talis est, ut per eam systema nervosum in aliqua sui parte vehementius adisciatur, liberum commercium cum parte centrali impediatur, non tamen penitus sufferatur, quod ex attenta causarum excitantium remotiorum consideratione ultro patet; hae enim omnes vel tales sunt, quae immediate cerebrum, aut nervum quemdam premunt, e situ detorquent, extendunt, aut tandem qualitative mutant: uti vitia organica, corpora peregrina, vulnerationes, ulcerationes etc., vel vero sunt tales, quae idem praestant immediate, producendo nempe congestiones, et stagnationes humorum, secretionum anomalias, excrescentias, tumores etc., aut e contrario inducendo per humorum nimiam jacturam repentinam, ac inordinatas contractiones, et coaretationes, quibus omnibus nervi adjacentes dicto modo adisci possunt. — Porro ex observatione multiplici constat epilepsiam nunquam solis nervinis, quae tantum dispositionem ab anomala incitabilitate provenientem imminuunt, aut tollunt, directe sanari posse, nisi simul alia remedia contra prius dicta impedimenta directa adhibeantur, imo saepius haec

sola absque omni nervino sufficere. — Tandem sub insultu epileptico non solum motus muscularum, se-
cū voluntati subjectorum concitatur, sed universa quoque vita vegetativa summopere intenditur, quod criticā excretiones cessante insultu vix unquam deficientes sufficienter probant. Per alacriorem hunc vitae vegetativae decursum, ut videtur, adminis pro aliquo tempore suffertur, aut imminuitur obstaculum systema nervosum infestans, nam quo perfectior comparat crisis, eo diuturnior solet esse intermissione, imo nonnunquam per eam penitus suffertur morbus; si autem insultus aut impediatur, ut per deligationem membra auram epilepticam evolventis, vel per adhibitam vim externam convulsionum vehementiam mitigare conantem, aut si energia nervea prius exhauriatur, quam crisim perficere posset, insultus paulo post redeunt multo vehementiores. — Omnibus adeoque huic dictis inter se combinatis verosimile esse videatur: insultum epilepticum nihil aliud esse, quam conamen naturae ad impedimentum, systema nervosum alterans, per autocratiam ipsius huius systematis sufferendum. Ex quo dein et periodicus insultum recursus aliquo modo explicari posset.

P r o g n o s i s.

Praeter momenta, quae rationalem in generē dirigunt prognosin, atque e conditionibus nevrosium existus dirigenibus desumuntur, uti sunt: causae efficiētes, symptomata, morbi gradus, decursus, anomaliae, complications etc.; empiricis saepe saepius oportet uti signis ad eventum futurum praedicendum, quem etsi cum certitudine nunquam praesagire liceat, majori tamen, minorive cum probabilitate conjecturare

possimus sub concursu quorumdam phoenomenorum multiplici experientia confirmatorum. — Infelici omni- ne epilepsia ad morbos frequentes spectat, sanatioque ejus difficilem nodum constituit, quem expedire indefessis medicorum conatibus proh dolor! nondum successit. Cura tamen morbi eaduci nequaquam semper impossibilis, aut adeo rara est, ut vulgo creditur.

Epilepsia, licet nevrosium maxime formidabilis, non tamen indiscriminatim ad periculosissimas referenda, cum morbus transacto multorum annorum spatio aegrum comitetur quidem, verum proiectam usque aetatem. Epilepsia per se aegrum cum multiplici calamitate dimicantem raro trucidat, qui saepe saepius ut sequelarum potius victima cadet; excipit enim paroxysmum multis in casibus apoplexia, paralysis, paresis, labefactatur vita tam physica, quam psychica, saepe tanto in gradu, ut aeger ad functiones suas exercendas ineptus vitae publicae resignare debeat. Esquirol (Dict. des sc. med. Tom. XII. pag. 350.) pro certo statuit: quod convulsiones ipsae vitae limitem nunquam ponant, sed extinguitur haec accidente virium exhaustione. — Si morbus in pubertatis annos offendat, dum sensibilitas acutior praedominio irritabilitatis cedere inchoat, tunc non consuevit esse nimium pertinax; longe adhuc mitior ille est, qui uni apertae, et tute removendae causae (saburrae, vermis, haeterogenio infixo etc.) adscribendus venit. Epilepsia idiopathica deterior est sympathica; procul dubio ideo, cum in posteriori cognitio causarum excitantium facilior sit, et conveniens therapia adhiberi possit, cerebrumque ipsum primitivo modo affectum non sit; inter adductas ab auctoribus feliciter sanatas epilepsias plurimae symptomaticae fuere. Epilepsia sine prodromis incedens gravior, et facile insanabilis est, ut jam Quarin monuit: „Epilepsia, quae absque signo praemo-

nente ingruit, fere incurabilis est". Epilepsia, cuius insultus anticipantes frequentia, et vehementia continuo augentur, vix admittit sanationem. Restitutio fluxus haemorrhoidalis in individuis utriusque sexus morbum caducum fugavit; alii non mutato vitae regimine, nec pharmacis utentes, nec scientes quomodo, aut cur liberantur a morbo. Tissot (in opere suo de l' epilepsie pag. 218) adducit exemplum celebris medici Itali Leoniceni, qui spatio 30 annorum epilepsia vexatus, tandem ab illa liberatus est, quin scivisset per quid, et deinceps fere aetatem 100 annorum adeptus est. Epilepsia tantum ab excessu sensibilitatis, et irritabilitatis oriunda absque tamen vitio organico cerebri, aut alterius nobilis organi minus periculum involvit, imo saepe et felici exitu gaudet, cum aucta annorum serie sua sponte sensibilitas, et irritabilitas minuantur. Epilepsia in pueris a hypercinesia uteri, aut a deficientibus, non justa quantitate, vel turbato ordine fluentibus catameniis repetenda, curatur saepe matrimonio; dum aliis individuis sexus sequioris, in quibus epilepsia in vitio organico uteri sedem figit, matrimonium damno potius est. Epilepsia a sola plethora absente omni alia complicatione faciliter cedit, quam illa, quae in sequelam excessivarum evacuacionum evolvitur; suppressae enim vires faciliter ad normale exercitium dirigi, quam languentes erigi, aut deficientes resarciri possunt. In hominibus obesis periculum mortis subitaneae majus, quam in macilentis (Hippocrates sect. II. aphor. 44.) Insultus nocturni diurnos periculo superant. Sub eruptione exanthematum acutorum comparens insultus epilepticus magni ominis non est; efflorescente enim semel cute non comparet amplius. Foeminae quaedam durante graviditate insultibus epilepticis divexatae, toto deinceps vitae curriculo nullo amplius molestabantur; aliis morbus tem-

pore graviditatis, et partus pepercit, quamvis antea morbo vehementi frequenter exagitarentur. Obstupendum est, ait Pechlin, foeminas epilepticas pluribus saepe de die paroxysmis correptas, tamen soboles robustas, et sanas in lucem edere, quae vitam longavam ducentes, ab omni malo epileptico salvae manent. Epilepsia, in qua functiones vitae animalis suspenduntur, aut quae vehementibus spasmis tonicis, et clonicis, et nonnunquam involuntariae urinae, alvi, seminisque evacuationi jungitur, frequenter terminatur laethali apoplexia, aut paralysi; monendum interim insultum in senibus saepius apoplexia claudi, quam in individuis junioribus. Aegris, qui post insultum animo dejecti, debiles, soporosi, quive prorsus inactivi manent, his proximius iterum minatur paroxysmus alter, antecedentem utplurimum vehementia superans.

Prognosis laetior est, utprimum sub paroxysmo respiratio libera manet, etiam si alia vehementia symptomata non desiderentur. In genere paroxysmi epileptici, qui aegrum obrunt, dum stomachum plenum habet, aut qui paucis ab exantlato partu horis superveniunt, facile deleterii fiunt. Pubertas quoque salutarem effectum producere potest, qui autem hanc periodum transgrediuntur, quin epilepsia sanetur, vix liberantur unquam. Contigit hinc inde, hebetem aegrum in sequelam perpessae epilepsiae augmentum animae facultatum experiri; sed centies florentes ingenii facultates per funestum hunc morbum atteri, et penitus extinqui observatum fuit. Arduum proinde est, et manebit relate ad epilepsiam fundatam statuere prognosim, quae per tam diversas, saepenumero abditas causas provocari consuevit, quarum nonnullae temporis decursu sua sponte cessant, aliae, quidquid molliamur, tolli non possunt. Ex quo sua sponte difficul-

tas optatam sanitatem restituendi elucet. Morgagnum testem *voco*, qui cap. IX. art. 26 ait: „Verum haec per alios quoque morbos late patens necessitas variae, ac multiplicis curationis summam facit, in recte medendo difficultatem“.

Momenta, quae principem in praesagiendo exitu morbi attentionem merentur, sunt:

1mo Respectus morbi aetiologicalis, et possibilis, aut impossibilitas causas remotas tollendi. Hoc obtutu prognosis laeta, aut tristis dependet a causis in aetiologya deductis. Tristissima prognosis in epilepsia a vitio organico, faustior in epilepsia per dynamicam affectionem systematis nervosi, aut per causas transitorias exicitata.

2do Aetas subjecti aegroti. Epilepsia infantum plus admittit spei, cum teste experientia hae aetate causae epilepsiae frequenter transitoriae sint, et arte removeari queant.

3to Eminens constitutio irritabilis, et haereditas morbi nonnisi summe dubium admittunt praesugium; in easu posteriori morbus vix non semper insanabilis manebit,

4to Quo morbus recentior, eo major spes sanationis affulget; epilepsiae diuturnioris cura majorem poscet operem; nam ipsi pluries redeentes paroxysmi aegri ad morbum dispositionem extollunt, quo fit, ut deinceps leviores etiam causae ad succendendum morbum sufficient.

5to Quo mitiores convulsiones durante paroxysmo, quo brevior ipse insultus, quo rarer ejus redditus, eo magis congratulandum aegro.

6to Complicatio epilepsiae oum morbis aliis. Epilepsia si occasione typhi, vel hydrocephali, vel praesente paralysi ingruat, gravissima est, longe mitiorem esse novi-

mus illam, quae occasione eruptionis variolarum, aut morbillorum supervenit.

The r a p i a

Vix existit morbus, in quo sanando empiria cruda, agyrtae, mysticus, supersticio, imo et insania a medicis, et profanis tam frequenter in usum tracta fuisse, quam in epilepsia. Est enim morbus sanatu difficultissimus, solertissimam aegri observationem, et scrupulosam in momenta causalia cuncta investigationem requirens; ut therapia rationalis coordinari possit; nihilominus natura non raro indigitat viam, qua medico procedendum sit, dummodo hic ejus nutum adsequatur; verum multi ab operoso investigationis hoc negotio abhorreutes commodius esse putant, laudata antepileptica copiosissima indiscriminatim successive adhibere, et ubi nullum proficit, morbum insanabilem pronunciare, aut ad absurdissima quaeque confugere. Ingenue tamen fatendum, saepe momenta causalia tam abstrusa, aut tam multiplici modo inter se complicata esse, ut omnem frustrent in ea investigationem, quo dein medicus quoque rationalis empiria probata remedia tentare cogitur; sed et hic attenta aegri observatio delectum facilitabit. — Caeterum cura medica epilepticis alia est impendenda sub ipso paroxysmo, aut paulo ante, alia tempore intermissionis; prior a non-nullis palliativa, posterior radicalis dicitur.

Ubi insultus accedit, aeger, vestimentis arctius corpus constringentibus prius solutis, loco collustrato pluribus stragulis, aut sacco stramentis referto supinus ita imponatur, ut capite elevatione versus unum, aut aliud latus inclinatus sit; cum autem epilepticus conscientia sui spoliatus, et convulsionibus vehementissimis exagitatus, facile sibi noxam inferat, hinc sol-

licite ei invigilandum est; simul per infirmarios, aut per fascias latas, non vulnerantes, nec nimis vehementer ita contineatur, ut necessarios motus quidem perficere, non tamen sibi nocere possit. — Consuetudo vulgi pollices inflexos solvendi, eosque in continua extensione servandi, putando sic insultum abbreviari, et mitiorem reddi, nihil prodest, et ob vehementiam, qua perficitur, saepe nocet. Ut autem laesio lingvae, aut diffractio dentium praeveratur, consultum est, frustum suberis, aut corii crassioris, vel linteum convolutum dentibus utriusque maxillae interjicere, quod quidem statim sub accessu paroxysmi fieri debet, cum tardius sub agitatione non facile perficiatur. Pibrac proprium apparatus deligatorium, quo lingua immobilis servetur, commendat, dicitque per hoc insultum multum abbreviari. Attendendum porro, ut saliva magna copia secreta saepe glutinis instar spissa, libere ex ore profluere possit. — Caeterum non est consultum, convulsiones membrorum vincendo impedire, nam cessante actione vis mechanicae majori cum vehementia recrudescunt, insultus prolongatur, et aeger summopere debiliatur.

Remedia interna sub ipso insultu ut plurimum adhiberi nequeunt, cum deglutitio ob constrictum pharyngem impossibilis sit. Saepe tamen medicus adstantibus ad quid porrigenum impensissime urgetur, quo in easu aliquot guttulae aetheris sulfurici, vel aceticici, spiritus nitri dulcis, liquoris mineralis anodynii Hoffmanni, aut liquoris cornu cervi succinati; in quantum fieri potest, ori instillentur. Nonnunquam remissio aliqua, etsi tantum momentanea, convulsionum observatur, hac adeoque occasione uti oportet; exhibeat nunc aegro uno, aliove cochleari aqua menthae, valerianae, vel florum aurantiorum cum quinque, aut sex guttis ammoniae purae liquidae, aut alia individualitati aegri

convenientia; Portal svadet aliquot cochlearculis oxy-
 mel simplex porrigeret, ut excretio saliva faciliteretur,
 et spissitas illius imminuatur. — De remediis dynam-
 icis in genere idem notandum, quod prius de vi exter-
 na dictum est; omnis enim tumultuosa quasi oppug-
 natio insultus remediis seu internis, seu externis in-
 tensitatem ejus auget, saepe aegrum in discrimen vitae
 conjicit. — Cavendum imprimis ab omnibus, quae ner-
 vos fortiori stimulo adgrediuntur; hinc etiam a sternu-
 tatoriis vulgo adhibitis abstinentia, utpote quae cere-
 brum ipsum immediate adficiunt congestiones augent, et
 facile apoplexiam causant; in illis tamen casibus, ubi
 epilepsia ab incitabilitatis excessu, vel a statu hyste-
 rico dependet, odora menta graviora uti em-
 pyreuma plumae, vel lanae adustae, tinctura castorei,
 vel asae foetidae, aliquo cum fructu adhiberi
 poterunt. — Sangvinis evacuationes uni-
 versales et topicae medio hirudinum nuchae, vel
 retro aures adpositarum, inevitabiliter instituendae
 sunt, si congestiones vehementiores ad encephalon ad-
 sunt, oculi rubent, epistaxis oritur, aut saliva san-
 gvine mixta excernitur. Praevertitur his apoplexia instans,
 simul tamen caput elevatius collocetur, et fri-
 gidiis servetur. Casus, in quibus haec requiruntur,
 ad rariores pertinent; in chronicae epilepsiae paroxysmis,
 vix unquam requiritur sangvinis evacuatio,
 imo in his saepe nocet insultus cerebri reddendo;
 frequentius observatur necessitas illius in epilepsia acuta,
 febri, exanthematica, et in ea, quae a dentione
 dependet. — In iisdem casibus, in quibus sangvinis
 evacuationes indicantur, aut si status irritativus, vel
 plane inflammatio encephali adsit, et insultus in lon-
 gum excurrat, revellentia, et derivantia exte-
 rna, vel sola, vel post sangvinis evacuationem ne-
 cessariam adhibenda sunt, sic; fomentationes calidæ,

aut si fieri potest pediluvia ex decocto sinapis, lixivio cinerum, vel ex solutione salis culinaris; clysmata ex muria, aceto, oxymele, ex solutione tartari emetici; sinapismi, vesicantia, fermentum panis, aut armoracia rasa extremitatibus inferioribus adposita; inunctiones linimenti volatilis, vel substantiarum spirituosalium aetherearum (in regionem sternalem, et dorsalem) et his similia; attendendum semper, ne plantae pedum quoquomodo vellicentur, imprimis in infantibus irritabilioribus. — In individuis tenerioribus, sensibilioribus, in quibus unice incitabilitatis excessus observatur, multum prosunt: clysmata oleosa ex decocto furfurum, ex infuso chamomillae, florum vel radicis valerianae, quibus et asa foetida addi potest: fomentationes calidæ abdominis, et inunctiones spinae dorsalis, et extremitatum cum oleo tepido, aut cum ungventis emollientibus. — Recentiori tempore fomentationes, et perfusiones cum aqua frigida, et calida sub ipso insultu capiti raso applicanda, praeeunte cel. Löhenstein Löbel iterum multum laudabantur; summa tamen praecautione adhibentur, cum non singuli conveniat, et incaute instituta vitae periculum inducant. In individuis irritabilioribus (exceptis infantibus) cum habitu apoplectico, si congestiones activae sub insultu vehementiores sunt, necessaria venae sectione praemissa, embrocationes, aut perfusiones frigidae audacter institui poterunt; minus convenienter individuis pastaceis, cachecticis, aut ematiatis, sensibilioribus, et per morbos diversos exhaustis; in his a fomentationibus tepidis gradatim ad frigida transitus fieri debet. Summo autem cum periculo adhiberentur: si jam stupor, fatuitas, et praeципue paralyses partiales per epilepsiam inductae adsint; si epilepticus simul morbo aliquo pectoris, diarrhoea chronica, malo catarrhali, rheumatico, aut arthritico,

vel exanthemate affectus sit. Obstant porro eorum usui: fluxus catameniorum, transspiratio sub paroxysmo evidenter aucta, complicatio epilepsiae cum scrophulis, rachitide, aut atrophia; vitia organica in capite, aut aliis corporis partibus epilepsiam sustinentia; praeterea epilepsia sub evolutionis periodis comparans, et eas, quae per morbos cutaneos disparentes producitur. — Ex sententia cel. Löbenstein Löbel ab eorum usu sanatio radicalis sperari potest, si insultum vehementia decrescit, stadium soporosum brevius, et intermissio longior fiat, si sub intermissione aeger animi hilaritate gaudet, et denique si aeger sub ipsa perfusione se ex alto lapsnm iri putat. — Fomentationes tepidae capitis prosunt in epilepsia imprimis infantum, noctu aut. sub stadio eruptionis exanthematum comparente, in plurimis aliis casibus nocent. Ubi perfusiones frigidae, et calidae contraindicatae sunt, maltum confert ad insultum abbreviendum instillatio aetheris sulfurici in verticem capitis, aut infriktio liquoris mineralis Hoffmanni in caput, et nucham. — In stadio soporoso aeger quieti relinquendus, continuato tamen revellentium usu, si congestiones ad encephalon ultro perstant, aut adjuvando crism, fors sudore se anunciantem, exhibito potu diaforetico. — Expergefacto tandem aegro commendatur summa animi, et corporis quies, cui sensus delassationis residuus citissime cedit, quodsi tamen nimis debilitatus foret, porrecto poculo vini, aut aliquot guttulis liquoris mineralis Hoffmanni sacharo instillatis vires restaurandae erunt.

Saepe multum interest, ut insultus instans periculosus avertatur, sique curae radicali tempus concedatur. Praepediri autem insultus nonnisi is potest, qui certis prodromis indicatur, aut periodo certa recurrit In hunc scopum diversa laudantur. — Deligatio

membri, ex quo aura epileptica excurrit, supra locum affectum, aut fascia aut tornaculo adplicito instituta, consuetim insultus evolutionem impedit; non tamen semper commendanda, cum aegri anxietate nimia oppressi, solutionem vinculi paulo post impensissime exoptent, hoc non concessso multum conficiuntur, insultus tamennovi, atque novi continuo se insinuant, nec prius euphoria quaedam redeat, nisi paroxysmo plene absuluto. Nonnunquam sufficit prodromis comparentibus obambulatio vehementior, aut extensio membra auram evolventis. — Pinel ammoniam naribus attrahendam optimo cum successu adhibuit. — Richter prae omnibus laudat emetica hora una ante insultum instantem, aut sub primis signis accessum indicantibus majori dosi exhibita; dicitque ea praecipue convenire, si causa materialis morbi, aut nulla detegitur, aut quae adfuit, jam sublata est, congestiones ad encephalon vehementiores desunt, et si crises materiales finito insultu nullae comparent; in tali casu et curam radicalem iis perficere vidiit, nam ut ille monet, insultu repetitum inhibito natura quodammodo impressionis secus habitualis penitus obliviscitur. Alii tamen ab emeticis hunc effectum salutarem nequaquam observarunt. — In plethoricis prodest diaeta tenuis, potus multae aquae frigidae, et lotiones capitis frigidae paulo ante insultum. — Epilepsiae idiopathicæ paroxysmi praepeduntur, aut adminus mitigantur per revellentia fortiora extremitatibus inferioribus adplicata, et per clysmata irritantia, alvo tamen prius evacuata. — Epilepsia nocturna hausto poculo aquae frigidae ante decubitum praepedita fertur. Marin narrat casum puellæ, quæ instantem paroxysmum musica fugabat. Terror quoque vehemens non raro impedivit insultus plenam evolutionem.

Tempore intermissionis cura radicalis tendanda erit, quae absolvitur causae procatracticae amotione, aut destructione, habito simul respectu characteris morbi ab individuali constitutione aegri dependentis. Hinc ante omnia aeger investigationi solertissimae subjiciatur, ut erui possit, an morbus a causis topicis vel universalibus dependeat, an ad eas accessus pateat, nec ne, et si plures simul agentes deprehenduntur, quaenam ex illis praे aliis eminenter morbum sustineat, adeoque praeferenter impugnanda sit. Facilitabitur hoc negotium, si Lentini consilio utentes ad naturae molmina critica peculiarem convertamus attentionem, probe tamen sciendo rarissime esse organon secernens simul primario affectum. — In genere autem durante investigatione aegri circumstantiae ita coordinentur, ut stimuli omnes peregrini absint, ne per eorum actionem facie morbi turbata vera causa attentionem effugiat. Alterum est characterem morbi eruere, in quibusdam enim irritabilitas, in aliis sensibilitas eminenter excedit, saepe utriusque status abnormis junctus observatur, sunt denique, in quibus reproductio morbose praevalet; haec tamen cum ipsis causis excitantibus tam arce juncta sunt, ut in coordinanda therapia separatim considerari nequeant. Investigatione adeoque absoluta, momentisque causalibus aliqua probabilitate definitis, curae methodus legibus therapeuticas generalibus conformiter adornatur; quae quidem tam multiplex esse potest, ut vix aliqua inveniatur, quae non sub certis circumstantiis locum haberet, unde nonnisi eas, quae in casibus maxime obviis usu veniunt, ordine a causis ipsis excitantibus petito adfero. Antequam tamen id adgrediar, animadversiones quasdam de remediis frequentius adhibendis generalibus praemittam, quo dein in subsequis multae repetitiones optime evitantur.

1mo. *Sangvinis evacuationes*, ut jam dictum, sub ipso insultu ad eum mitigandum, sed et sub remissione necessariae sunt, si inflammatio organi nobilioris, aut universalis vel topica plethora locum habet. Evitandae praesente oligaemia, aut adminus deficiente plethora. Ad haec determinanda praeter pulsus conditionem imprimis status virium respiciendus est. Ubi massa sangvinis quantotius imminui debet, vena secabitur; hirudines applicantur, si status virium universalem sangvinis detractionem non admittit, aut si solum plethora localis imminuenda est. — Nonnunquam aeger sangvinis depletionibus ea solum ex causa debilitari debet, ut natura per excessum virium suppressa in moliminibus suis salutaribus adjuvetur, aut ut tuius remedia stimulantia exhiberi possint. — In doloribus diuturnis vehementioribus, quamvis nulla adsit plethora observabilis, saepe unica salus in sangvinis evacuatione est. — Bono cum successu saepe instauruntur, etsi nulla directa indicatione praesente, in epilepsiis cum morbis exanthematicis, cum hypochondriasi, aut hysteria conjunctis, prouti et in illis, quae tempore graviditatis, aut partus cōparent, et quae per terrorem, contusiones capitis, vel commotionem cerebri productae sunt; in infantibus sub dentitione epilepsia agitatis ut plurimum solae perficiunt curam. — Ex opposito plurimum nocent in epilepsiis humorum nobiliorum dispendio nimio, ab evacuationibus morbosis diuturnis, in genere, a morbis exhaustientibus inductis.

2do. *Emetica*, etsi quondam multum laudata, rariissime indicantur, saepius contraindicantur; cum in epilepsiis saepissime, et facilime congestiones sanguinis, et seri in cerebro formentur, hae autem per emesin summopere augeantur. — Adhibenda sunt adeoque unice in epilepsia a veneno, aut ab aliis ingestis

producta, si ejectio harum substantiarum noceantium adhuc possibilis est; caeterum si saburra ex nutrimentis malae indolis enata sursum turget, aut si vomititiones, vel ipse vomitus spontaneus praesens adjuvandus foret, ad quod tamen aquae calidae potus saepissime sufficit; quod si autem in tali casu status inflammatoryus inchoans, aut plethora signis quibusdam se manifestaret, vomitus potius omnibus modis, saepe venae sectione quoque instituta, sedandus erit. Animadvertisendum enim per affectiones morbosas ventriculi, per infarctus hepatis, lienis, renum et uteri, praecipue in gravidis refluxum sanguinis ab encephalo, et aliis organis multum impediri, atque hinc provenientes vomititiones aut ipse vomitus, tantum abest, ut indicationem pro emetico largiantur, ut potius eius usum directe interdicant.

3^o. *Purgantia* in intervallis liberis, si secus necessaria sunt, tuto adhiberi poterunt. Ingruit autem necessitas eorum praesente statu gastrico, aut saburra intestinali, quae insultum revocare valerent. Augetur per ea et emendatur secretio intestinalis, evacuantur sordes, simulque respectu cerebri contrastimulus ponitur. — Seligantur vel maxime antiphlogistica mitiora, nonnisi praesente torpore intestinalium majore drasticis quoque uti licebit.

4^o. *Clysmata*, et quidem initio emollientia tardius irritantia, solvendo alvum obstipam multum prosunt, cum in epilepticis sordium accumulatio saepe insultum provocet. — Nonnulli medici clysmatibus remedia antiepileptica specifica addere svadent, quod tamen si alvus iis solvenda est, absque omni fructu fiet. Si ewipiam tamen placeret, remedia dicta forma clysmatum adhibere, ante omnia evacuationes alvinae promovendae forent, quibus perfectis clysmata, evitato omni media purgante, ex infuso valerianae, vel

alio simili parata, moschum, camphoram, opium, assam foetidam, aut alia debita dosi admixta tenentia, parca quantitate, et quantum fieri potest minime tepida injici possunt, ita ut quantitate majori intestinum non extendant, sicque aut per calorem velociorem, eorum evacuationem producant.

5to. *Vesicantia* ad remedia potentissima antiepileptica spectant, hinc a medicis omnis aevi multum laudabantur. Nihilominus tamen non sunt sine discrimine in omni specie epilepsiae adhibendae, cum in nonnullis multum quoque nocent. In genere ea plus efficiunt, quo recentior est epilepsia, imprimis si ea in sequelam exanthematis disparentis enata sit. — Adplicari possunt omnibus corporis partibus; narrantur casus, in quibus vesicantia capiti imposta epilepsiam perfecte sanarunt; id tamen nonnisi in idiopathica valere potest, nam quounque morbus adhuc sympatheticus est, sic adplicita plus nocent, quam prosunt, in his adeoque parti affectae imponenda sunt. — *Vesicantia* e cantharidibus diutius adhibita, quamvis secus adhuc indicata, saepe nociva sunt, non tantum ob detractiōnem materiae organicae nimiam, sed imprimis ob irritationem, quam cantharides producunt, in systemate nervorum, et in organis uropoēticis. Quamprimum igitur organa uropoētica adficiuntur, cantharidibus alia vesicantia substituantur, excepto solum statu oedematoso extremitatum, et faciei, ac in genere praesente dispositione hydropica, quo in casu cantharides stimulo suo specifico vasa lymphatica languentia salutari modo excitant.

6to. *Rubefacientia*, et in specie sinapismi, ut jam superius adtuli, insultum ipsum mitigant, paulo ante adposita ejus evolutionem saepe impediunt; sed et sub intermissione adhibita non raro saluberrimum exerunt effectum. Plurimum valent in epilepsia cum

doloribus complicata; aut a morbis cutaneis, a secretionibus suppressis, a rheumaticis, vel arthriticis malis producta. — Si dolor non est vehemens, immediate parti dolenti applicari possunt; ubi vero dolori intensiori et febris accedit, remotiori plagae imponenda sunt, ut revulsionem producant.

7mo. *Cucurbitulae siccae* irritatione simplici, et cruentae, simul sanguinem topice evacuando, saepe vehementiam et durationem insultuum imminunt, imo eum non raro penitus tollunt. Jam Celsus eas, facta prius incisione, occipiti imponere jubet, idem svadent multi medici recentiores. Portal saepe plagae dolenti, aut atrio morbi quam maxime vicinae siccas, aut pro circumstantiis cruentas optimo cum effectu applicuit, easque multis in casibus setaceo, et moxae praferendas putat.

8vo. *Fonticuli*, post cauteria prius applicita, omni jure commendantur in epilepsis cum dyscrasia nensis; animadvertisendum tamen, per eas quidem suppurationem largam non tamen irritationem fortiorem provocari, quare quam proxime plagae affectae producendi sunt; sic Portal consuetim per decursum spinae dorsalis aperuit duos tresve, in extremitatibus vero nonnisi tunc, si circumstantiae minus urgentes aut peculiares id exposcebant.

9no. *Setacea* quoque nuchae infixa, ut fonticuli, non raro sanant epilepsiam.

10mo. *Moxae* fonticulis praferendae sunt, si irritatio vehementior requiritur; ut plurimum tamen valet, si alternatim ita adhibeantur, ut locus moxa adustus in fonticulum convertatur.

11mo. *Transscissio nervi*, ut redditus paroxysmi impediatur, saepe bono cum successu fuit instituta; sic Van Swieten, Tissot, Portal et alii plures adferunt casus, in quibus hac enchiresi epilepsia sanabatur.

12do *Balnea* tepida in spasmis generatim proficia, et sub cura epilepsiae utilissimae sunt. Sub ipso quidem insultu aeger balneo imponi nequit, sed id nihil officit, cum in intervallis liberis quoque adhibita successu salutari non careant, imprimis si, quoad temperaturam et alias eorum proprietates, statui individuali recte accommodentur. — *Balnea* teipda a 23° — 24° R. curam epilepsiae mirifice adjuvant, nec unquam, si diathesim oedematosam excipis, nocent. Cutim sicciam emolliunt, secretiones ejus facilitant, dolores leniunt, agrypniam imminuunt, imo vesperi sumta saepe somnum placidum conciliant. — *Calidiu-*
scula a 25° — 28° R. insignem habent efficaciam in epilepsiis cum morbis cutaneis, rheumatismo, vel arthritide connexis; in quibus si adhiberi vellent, prius plethora universalis, vel topica remediis congruis necessario tollenda foret. — *Balnea* vere calida a 27° — 29° R. et supra in epilepsia non absque detimento gravi adhibentur. — Idem fere vallet de *frigidiusculis*, que ea solum occasione svadenda, si pruritus cutis noctu ingravescens diuturnus cum somno interrupto, et insomniis terrificis divexet, sed in hoc quoque casu administrus ad 22° R. temperentur. — Rarius adhuc adhiberi poterunt *frigidiora* 20° — 14° et infra, etsi non desint exempla felicium per ea curarum; convenient fors unice illis, in quibus sudores profusi et simul alvi retentio-
 nes, habituales epilepsiam producunt, aut sustentant. Quo magis autem temperatura balnei ad punctum congelationis accedit, eo fit in genere periculosius, cum congestiones in epilepsia utique praesentes augeat, et facile novas producat. — *Balnea marina*: aut ex muria nativa, magnis quondam encomiis celebrata, in epilepsia nunquam adhibeantur; nihil enim prosunt, saepissime nocent; summum autem periculum, imo

mors subitanea producitur, si perfusiones ex alto, ut quidam proposuerunt, cum aqua salsa fiant.

13tio. *Potulenta* non stimulantia majori, non tamen nimia quantitate sumta, plurimis conducunt epilepticis. Ipsa aqua pura diathesim spasticam successive delere valet. Multum prosunt potus demulcentes, lenientes, emollientes. Aquae minerales, et marinae statui individuali convenienter selectae, longiori suo usu status morbosos epilepsiam causantes corrigit, atque sic ipsum morbum sanant. Cautelae tamen sub eorum usu secus quoque necessariae, in epilepticis quam scrupulosissime observentur.

His praemissis ad specialem diversarum epilepsiarum therapiam, in quantum arcti dissertationis limites id concedunt, explanandam transeo.

A. *Epilepsia cum excessu sensitatis*, ut plurimum in individuis constitutionis tenerioris, animo mobiliori psychicis influxibus facile concitando, et facultatibus intellectualibus non raro eminentibus praeditis, in quibus pulsus consuetum parvus, irritatus, celer simulque irregularis est, observari potest. Producitur fere semper per causas immateriales, saepe psychicas nullo modo eruendas. Insultus repente fulminis instar a capite inchoat; convulsiones vehementes, prae aliis, in facie et superiori parte corporis sunt terribiles; congestionis ad encephalon signa rarius observantur, nisi simul erethismus vasorum sensitati exaltatae accedat. Urina ante, et sub insultu missa limpida raro aliquantulum flavescit; oritur epiphora larga, aliae se- et excretiones anomalae penitus desiderantur. Post paroxysmum longo tempore perstat animi dejectio, et si paroxysmi saepe recurrent, memoriae, et facultatum intellectualium debilitatio, aut plane fatuitas producitur.— Has sanare ad difficillima medici practici negotia spectat; hic saepe empiria ra-

tionalis, aut indicatio ex nocentibus et juvantibus de-
sumta, curam dirigere debet. — Sub initio morbi, et
in formis levioribus talis epilepsiae purae nervosae ex-
hibeatur concentratum infusum valerianae additis sub-
stantiis aethereis, vel liquore cornu cervi succinato,
aut solutio extracti chamomillae in aqua flor. auran-
tiorum cum spiritibus aethereis. Quodsi vero ma-
lum in habituale chronicum transit, porrigantur doses
majores valerianae pulveratae, aut ejus tinctura, etsi
typus quispiam insultum observatur, conjungatur cum
his china. Tentanda porro sunt antiepileptica alia,
uti radix paeniae, ol. cajeput, lign. visci, ol. animale
Dippeli etc., quae tardius singillatim recensebimus. In
similibus, fors epilepsiis fuerant salutaria quaedam
summe heroica, et summe absurdia, uti: terror vehe-
mens, inopinata dejectio in aquam frigidissimam, in-
gentes doses opii, aut aliorum narcoticorum, ingurgi-
tatio vini excessiva, adustio diversarum partium cor-
poris, sangvis calidus gladiatori transfossi, et quae
non alia multo adhuc absurdiora, a diversis scriptori-
bus numerantur. — Si insultus nimis crebro redeunt,
sub intermissione brevi vertigo, tremor artuum, de-
jectio virium eximia, pulsus parvus celer, tristitia, et
meditatio de morte continua perstant, ad magnas doses
moschi, saepe ad phosphorum confugiendum est. —
Externe balnea tepida aromatica aut lixiviosa, lotio
capitis et nuchae cum aqua tepida, aceto vulgari aut
camphorato, imo cum aethere, applicatio sinapismi vel
vesicantium ad partes corporis inferiores, inunctiones
spirituosa aromaticae, aut tincturae asae foetidae, vel
cantharidum, et similia in his epilepsiis salutaria erunt.
— Si aeger habitum contrahit cachecticum, multum-
que ematiatum, atque ubi supponere licet, atoniam
nerveam et hinc provenientem laxitatem muscularum
esse in causa sensilitatis anomiae, tunc praeter diae-

tam nutrientem a tonicis fortioribus, china, ferro, plurimum erit exspectandum. Praecautionis causa praestat tonicis, ne sensilitatem morbosam quoquo modo excitent; antispasmodica volatilia ut valerianam, castoreum, ol. cajeput, aetheres etc. adjungere. — Caeterum vitae regimen solicite individualitati convenienter ordinandum est, ne curae effectus spem conceptam falat; de hoc tamen objecto nihil generalis praescribi potest, status enim diversus nervosus, idiosyncrasia, aut antipathiae multiplices, aliaeve circumstantiae modificationes diversissimas exspocunt, hinc ingenio medici relinquendae; id tamen in genere valet, aegrum ab influxibus vehementioribus psychicis et moralibus solertissime custodiendum esse.

B. *Epilepsia cum irritabilitatis anomala exces-
su* in individuis junioribus, robustioribus occurrit. Sub insultu vehementi signa congestionis activae ad encephalon, et pectus observantur. Producitur utplurimum per spirituorum abusum, per suppressa normalia aut abnormia quidem, ast habitualia sanguinis profluvia, per exagitationem, et incalescentiam corporis vehementem et alia similia. Hic principale remedium est venae sectio; caeterum diaeta antiphlogistica, potus multae aquae, cibi vegetabiles conducunt; ex opposito evitentur motus vehementiores, potus spirituosi, cibi animales. Exhibeantur praeterea potionis acidulae, salinae, et leniter purgantes. Frequentius quam forma pure irritabilis, occurrit epilepsia, in qua anomalia irritabilitatis evidenter cum pathemate spherae sensibilis junctim incedit; in hac observatur sic dictus erethismus systematis vasorum: calor fugax, congestiones quidem ad encephalon aut ad alia organa, verum simul delassatio, tremor artuum, et vertigo saepius recurrens; pulsus est acceleratus duriusculus, non tamen plenus. — Acida mineralia, elixirium acidum

Halleri, ipsum acidum phosphoricum in hac forma prosunt, si simul revellentia fortiora ad extremitates inferiores adplicantur. Sanguinis evacuationes evitandae: quamvis enim pro brevi levamen ferre videantur, in universum tamen insultum frequentiam augent. Lotiones frigidae capitis et nuchae prodesse possunt, verum aeger successive per gradus eis asvesfaciendus est. Ubi malum inveteratum huic therapiae non cedit, antiepileptica, quorum usui erethismus vasorum non obstat, uti Valeriana, flor. Zinci, Vitriolum album, cuprum ammoniacale et similia tentanda erunt. — Diaeta quidem nutriendis, et restaurans non tamen stimulans, excitans concedenda est; imprimis facile nocent potus spirituosi, et aromata.

C. Formae epilepsiae huic pertractatae in genere rarius occurunt, multo frequentius sunt eae, in quibus vita vegetativa primario affecta deprehenditur. Individua temperamenti phlegmatici, frigidi, pulsu tardo, abdomine obeso, diathesi in morbos catarrhales vel in perversas muci secretiones praediti, prae aliis hanc formam offerunt. Causae morbum sustentantes ut plurimum in abdomine haerent, imo saepe manifesto in physconia, et induratione viscerum, in saburris gastricis, in turbatis crisibus materialibus, in se — et excretionibus retentis, in efflorescentiis cutaneis retropulsis, et similibus consistunt. Insultus ipsi, frequenter congestionibus ad encephalon stipati. crisi materiali varia, ut diarrhoea, sudore, vomitu, urina turbida fieri consuevere. — Etsi in omni epilepsia causae eam sustentantes ante omnia amoveri, et destrui debeant, nullibi tamen executio hujus indicationis tam absolute necessaria, quam in iis epilepsiae formis, quae in morbo quodam vitae vegetativae radicantur; si enim hoc negligitur, morbus non tantum non tollitur, quin imo magis solidatur, habitualis fit, et saepe etiam in-

sanabilis redditur. Ubi igitur saburrae gastricae, mucus, bilis perversa, acidum primarum viarum, residua nutrimentorum non digesta subversantur, ea, quae turgent via brevissima, per clysmata, emetica, solventia et purgantia, aut per absorbentia eliminanda sunt. Verminosis, physconiae, lithiasis, discrasia syphilitica, scorbutica, arthritica convenientibus remediis corrigantur; se et excretiones habituales restituuntur, morbose auctae vero restringantur. Exanthemata chronica repulsa omni modo revocentur; aut si id fieri non posset, per ulcera artificialia suppleantur. Seminis profusio nimia aut praeternaturalis intermittenda est, dein lotionibus frigidis genitalia roborentur; pollutiones nocturnae optime fomentis frigidis, ex aqua aceto camphorato mixta, praevertuntur. Sic quoque contra alias causas, singulæ convenienter, agendum est. — Praeter causam excitantem, summam requirit attentionem diaeta, quae in his casibus magis stimulans esse debet, unde potus spirituosi et aromata, nisi complicationes quaedam ea interdicant, tuto concedenda erunt. Saepe tales epilepsiae jam habituales sunt, nec certa causa amplius detegitur sustentans, quo in casu remedia antiepileptica alterantia metallica, uti vitriolum album, cuprum ammoniacale nitras argenti etc. tentari poterunt.

D. *Epilepsia a vitiis organicis* nonnunquam, quamvis raro operatione chirurgica sanatur. Sic cranius depresso instituitur trepanatio, caries ossium crani, vulnerationes et laesiones capitatis secundum regulas chirurgiae tractantur; tumores, concrementa, corpora peregrina nervos quosdam infestantia, si deteguntur et accessus patet, excinduntur, tendines aut nervi laesi resecantur penitus. — Saepe fit, ut causa quidem mechanica supponi possit, ea tamen non detegitur, in his casibus transseccatio nervi, per quem aura epileptica ex-

currit, non raro morbum sustulit; saepe natura ipsa corpora peregrina ulceratione producta, eliminat, quo dein epilepsia cessat. — Ubi vero nihil horum fieri potest, ut in vitiis organicis profunde in capite absconditis, therapia ad curam palliativam restringitur; in hoc casu derivantia et revellentia externa, pediluvia irritantia, methodus antiphlogistica mitior adminus insultus mitigabunt, et eorum recursum retardabunt. — Secretiones serosae aut purulentae, vel extravasata cruenta in cavis vel inter velamenta cerebri aut in specum vertebrarum haerentia exposcunt remedia purgantia, calomel, arnicam, digitalem, ut resorptio stagnantium horum liquidorum perficiatur; non raro his sanguinis evacuatio et cura antiphlogistica praemittenda est.

E. Quae haereditate adquiritur epilepsia quae congenita aut sub lactatione adquisita est, suam exponscit curam propriam, etsi quam frequentissime insanabilis sit. Cura, in quantum possibile, durante adhuc prima infantia suscipi debet, tardius enim vix sanabitur unquam. Oportet hie ante omnia causas nocentes exquirere, quae in parentes, ante generationem vel sub vita foetali aegri in utero matris iusluxerant, quibusve hi morbis affecti fuerant; cum haec ob arcatum inter parentes aut nutricem, et foetum aut infantem nexum, in hunc quoque reagant; si vero tales influxus actu perstant, hi quantocius removeantur, aut eorum sequelae remediis aptis impugnantur. Si lac nutricis, quod saepe fit, epilepsiae causa esset, aut nutrix morbo quoconque contagioso epilepsiam provocare valente affecta sit, ablactatio infactis summopere necessario est. Si parentes aut nutrix syphilitici essent, exhibeantur mercurialia mitiora dosi refractissima; si discrasia herpetica supponitur, adjungatur mercurialibus sulfur; ubi discrasia scrobutica haereditaria adesse suspicatur, ea antiscorbuticis corrigi tentetur;

et sic in aliis quoque morbis infantum parentes aut nutricem adficientibus procedendum erit. Derivantia externa, uti vesicantia, fonticuli, setaceum, saepe eximio effectu adplicantur; attendendum tamen, ut sensibilitati agri convenienter. — Quibus omnibus satis longo tempore continuatis non raro epilepsia talis sublata fuit.

F. Peculiarem adhuc merentur attentionem in utroque sexu sub diversis evolutionis periodis comparentes insultus epileptici; satis enim frequentes, vix unquam carent periculo, propriumque exposunt tractandi modum.

a) Neonati magna gaudent excitabilitate, unde non raro illico, aut brevi post nativitatem convulsionibus, ipsaque epilepsia convelluntur, quin causa excitans detergetur. Spastici hi insultus diathesim in novos producunt, quare dein semper vehementiores recurrunt. Necessum est igitur statim prima, etsi apparenter leviora, convolutionum initia remediis congruis antispasticis depellere et impedire, ne intensitate eorum increcente insanabile fiat malum. Praecautione adeoque svadet, neonatos ab omnibus tueri potentissimae systema nervosum intensius excitare valerent. — Oppletio vasorum sanguiferorum, a plethorica constitutione matris proveniens, saepe in causa est vehementis insultus epileptici aut stuporis apoplectici neonatorum; hoc in casu sanguis hirudine detrahendus, mox granum dimidium aut integrum moschi in syrupo quodam exhibendum, et balnea tepida adhibenda veniunt. Stupore diutius perdurante, ad irritationem cerebri ideopathicā inminuendam, revulsio ad partem a capite remotam produci debet. — Est ubi meconium acrius in intestinis haerens dispositionem ad spasmos auget, partim tubum intestinalem fortius vellitando, partim excretionem bilis impediendo. Promoto-

vetur excretio meconii, et subsequa bilis potulentis emollientibus et purgantibus lenissimis uti syrapi ci- chorei cum rheo, vel maxime tamen colostro, quare primis administris diebus neonatus nutrici, diutius jam lactanti non tradatur. — Epilepsia illico post nativitatem evoluta, dum remediis dictis non cedit, tardius non raro disparet solius naturae vi fugata; ubi tamen ultra primum aetatis annum perstat, nisi a pubertatis evolutione vix alia remanet spes salutis, quae si fallitur, occidit aeger circa 25 aetatis annum, ut jam Hippocrates docuit.

b) *Dentitione inchoante* infantes, secus plena etiam fruentes sanitatem, facile fiunt epileptici, frequenter tamen id accidit in illis, quibus dispositio haereditate tradita est, et qui diserasiam scrophulosam, herpeticam, psoricam, verminosam aut aliam contractam habent. — Definita hac causa epilepsiae impedimentum eruptionis dentium amovere, et epilepsiam propriae producentem contentionis naturae vehementiam, potulentis lenientibus, et demulcentibus, similibus balneis tepidis, clysmatibus emollientibus, et fomentationibus abdominis sedantibus calidis, moderare oportet; convulsionum vehementia, plethora universali vel topica in maxillis et cerebro stipata non raro aut per hirundines temporibus adplicatas, aut aperta in brachio, vel quod praestat, in pede vena exposcit sanguinis detractionem; juvat et incisio gingivae. Haec dein excipiunt remedia per circumstantias indicata. et quae diserasiae fors praesenti opponenda sunt.

c) *Quae tempore pubertatis* in organismo continentur mutationes, epilepsiae quam frequentissime insanabilis causam constituere valent. Si ea in pueris errumpit, principiis superius expositis convenienter, respiciendo ad morbi characterem, tractari debet. In puellis, quarum pubertas catameniis comparentibus

absolvitur; epilepsia ut plurimum producitur per molimina catamenialia, quae adeoque adjuvari, vel inordinata coerceri debent. Hunc in scopum, si plethora urget, vel in brachio secatur vena, vel ea aperitur in pede, quo proruptio catameniorum facilitatur; catameniis primis fors profusis opponuntur balnea tepida calida, potulenta sapientia, clysmata emollientia, aliaque remedia sedantia. Catameniis ad ordinem revocatis epilepsia non comparet amplius.

d) *Gravidae, et parturientes* peculiari gaudent dispositione ad epilepsiam, cui non raro succumbunt. Summo in periculo versantur parturientes, dum eas accedit epilepsia, saepissime enim apoplectice extingiuntur; quod ut praevortatur, largae instituantur venae sectiones, remedia autem spirituosa, stimulantia volatilia, et antispastica sollicite evitentur. Absoluto feliciter partu statui individuali conformiter tractandae erunt,

e) *Aetate provectione*, ubi in foeminis fluxus catamenialis cessat, idque subito aut aetate nundum conveniente fit, non raro evolvitur epilepsia, quae optime debellatur venaesectionibus toties repetitis, quoties pleniorae signa comparent, praeterea decoctis demulcentibus infuso malvae, addendo pro circumstantiis tinturam, aut extractum valeriana, vel aliquot guttulas laudani liquidi, et aliis statui individuali convenientibus atque diaeta vegetabili non nimis nutriente.

Hucdum propositis absolvitur cura epilepsiae rationalis. Restat enumeratio antiepilepticorum empiria probatorum. Si ad talia configendum est, seligantur ea, quae statui individuali optime convenire videntur; de tempore in tempus substituantur alia atque alia; dosis eorum successive angeatur ad certum gradum, dein aut descendatur iterum ad minores, vel remedium pro aliquo tempore penitus seponatur, ne organis-

mus stimulo asvesiat. Si remedium aliquod levamen adfert, sanationem tamen perficere nequeat, exhibeatur aliud ei analogum, quo dein saepe optatus scopus attingitur. Sunt autem praecipua sequentia:

Radix valerianae sylvestris jam a Galeno, Areatae Dioscoride laudata, a recentioribus pro specifico antiepileptico summo habetur. Nocet praesente plethora, aut statu irritativo ventriculi. Adhibetur impensis pulvis, cuius nonnulli usque unciam unam sub Nychthemero exhibuerunt; pulvis crassior subtiliori praestare dicitur. Laudatur et infusum vinosum ex uncia una radicis ad libram vini, ter — quater de die tribus cochlearibus. Masius balnea ex valeriana commendat. — Est pars constitutiva plurimorum arcanorum remediorum.

Radix et flores paeoniae off., antiquiores pro summo habebant antiepileptico, recentiores specificam virtutem denegant. Adhibetur in pulvere ad 1 — 2 drachmas. Ingreditur multa arcana.

Folia digitalis purpur. recentiori tempore a Parkinson commendantur. — Caute adhibeantur, ne vomitum producant.

Viscum album s. *queruginum*; Specificum antiepilepticum populis Germaniae, jam Plinii tempore notum. Recentiores quoque utilitatem ejus eonsirmarunt; Tissot tamen eam negat. Porrigitur pulvis ad drachmas duas, aut infusum ex uncia semis ad uncias sex.

Cortex chinnae in epilepsia periodica bono successu adhibetur, specificum tamen antiepilepticum non est.

Radix dictamni albi in genere laudabatur qua antispasmodicum. Exhibetur in epilepsia cortex radicis ad $\frac{1}{2}$ — 1 drachmam.

Folia aurantiorum a Locher antiepilepticis adnu-

merata nonnisi in levioribus formis quidpiam efficiunt; praeferunt pulvis decocto.

Herba ruta in nonnullis casibus prodesse potest, multum tamen ab ea non exspectandum.

Fibrillae radicis artemisiae vulgaris recentiori tempore a Burdach iterum impense commendata imprimis in epilepsia nonnullum inveteratis puellarum tenerorum, sed et in aliis, si quotidie ultra tres insultus insequuntur; parum aut nihil efficit in ea, quae irregulariter 5 — 15 die recurrit. Exhibitetur ad grana triginta vesperi ante decubitum in cerevisia calida; si post primam dosim noctu diaphoresis larga foetida non prorumpit, dosis die insequenti ad 36 — 40 grana augenda, si nedum sudorem movet, nihil amplius sperandum. Autumno sero, mense Novembri colligendae fibrillae lenissimo calore siccentur, quin prius laveruntur; sub pulveratione fibrae lignosae sollicite separandae et abjiciendae sunt. Alii quoque medici ejus virtutem observationibus suis confirmarunt.

Narcissus pseudo Narcissus, Dufresnoi flores hujus plantae antpileptica vi gaudere perhibet; Galli medici plures eas adhibuerunt bono cum effectu.

Opium secundum cel. Portal († 1832) tantum convenit in epilepsia cum sensibilitatis et irritabilitatis excessu, absque causa materiali cognita, per potentias nocentes psychicas producta imprimis si pervigilio incedat; — nihil efficit ex opposito, si epilepsia per corpus peregrinum nervum quemdam infestans sustentatur, vel si ea a laesione nervi dependeat; — nocet plane opium in epilepsia ab affectionibus gastricis subinflammatoriis provocatis, idem valet de epilepsia febrilibus; saepe tamen dosi refracta cum aliis remediis indicatis exhiberi potest, imprimis si transspiratio cutanea promovenda sit.

Capita papaveris albi, qua adjuvans praecipue pro clysmatibus et fomentis adhibentur.

Herba hyosciami saepe opio praeferenda cum alvum non retardet, caeterum de ea idem valet, quod de opio. Externe adhibetur forma cataplasmati membro dolenti imponendi.

Radix mandragorae, et *radix atque herba belladonnae* interne et externe commendabantur, cautissime tamen adhiberi debent. — Idem valet de *herba et sem. stramonii*, quae a recentioribus quibusdam imprimis a Most, Jac. Bigelow, et Alex. Read adhibebantur contra epilepsiam.

Agaricus muscarius in epilepsia a terrore enata a granis decem usque scrupulum, imo ad drachman ascendendo exhibetur. Bernhard svadet hoc remedium cum aceto vel aqua cerasorum exhibere.

Nuces vomicae recentiori tempore forma tinturae vel extracti aut ipsa strychnina adhibita fuerant. — Idem valet de fabis sti. Ignatii.

Radix hellebori nigri et *albi* jam a medicis antiquioribus adhibebantur. Conveniunt imprimis in epilepsiis cum torpore intestinalium conjunctis, ad eam autem dosim ascendendum, ut cathartice agant.

Herba sedi minoris, *radix pyrethri*, *radix ptermicae* in aliquot casibus profuerunt, in aliis non.

Radix allii vulgaris adhibetur in epilepsia quae sternutatorium et in clysmatibus, rarius interne. Plurimum valet si exanthemata restituenda sunt forma cataplasmati adplicitus.

Asa foetida antihystericum potius, quam antiepilepticum. Optime adhibetur in clysmatibus; interne sumtum facile congestiones causat, nisi dosi minima porrigatur.

Camphora quoque a nonnullis ad antepileptica referuntur. Remedium tamen solum ut recte monet Tissoot curam radicalem nunquam perfecit.

Oleum terebinthinae a medicis Anglis nostri temporis in epilepsia dosi magna exhibebatur non absque fructu, vix tamen aliter prodest, quam vermes expellendo, et menses incitando.

Moschus in epilepsia remedium eximium est, dummodo status plethoricus prius per sanguinis evacuaciones sublatus sit. Exhibetur a granis duobus successive ascendendo ad quindecim. — Minus valet *Ambra*, et *Zibethum*.

Castoreum est quidem antispasmodicum insigne, in epilepsia tamen multo minus valet, nec alibi adhiberi potest, quam ubi atonia magna observatur. Exhibetur in epilepsie a granis 4 — 5, usque 15 et 20 grana in pulvere.

Oleum animale Dippelii praecipuo in illis epilepsiae speciebus adhibendum est secundum cel. Richter, quae a suppressa arthritide, rheumatismo, aut exanthematibus ortae sunt; ab aliis compluribus medicis effectus salutares post ejus usum observati sunt in diversissimis casibus. Optime exhibetur secundum Van Hoyen, scruplos duos ol. animalis Dippelii in drachmis duabus aetheris sulfurici solvendo, et hinc quotidie quater guttas 10 — 25 porrigendo.

Cantharides quoque ab aliquibus scriptoribus contra epilepsiam laudantur: verum eorum usus periculo plenus, et incertus est.

Sulfas cupri ammoniacalis recentiori tempore a multis medicis eximio cum effectu porrigebatur epilepticis, caute tamen et nunquam infantibus adhibendus.

Oxydum Zinci etiam in febrili epilepsia beneficuntur, multumque prodest, si simul saburra acida primarum viarum adsit, vel si morbus a vermis aut

dentitione depondeat. — Eadem gaudet virtute sui fascinandi, intensius tamen agit.

Acetas plumbi, cuius usum Paracelsus commendavit, a pluribus cum effectu potius noxio, quam sanitari adhibebatur.

Stibii praeparata, quorum princeps tartarus emeticus dici potest, in epilepsia insigni saepe cum effectu in usum trahuntur, imprimis si discrasia aliqua subversetur; de

Hydrargyri praeparatis quoque idem valet.

Ferrum et ejus praeparata salutaria sunt, si aegri tempore intermissionis nimium confecti, secus pastacei in hydropem dispositi sunt; prosunt etiam illis, qui epilepsiam profusione humorum imprimis sanguinis sibi conciverant.

*Nitras argenti fusi*s omni jure a recentioribus summis elatum encomiis; vix unquam fallit enim spem conceptam, dummodo in casibus pertinacioribus satis longo tempore, per medium etiam annum, dosim per gradus ab $\frac{1}{8}$ gr. ad plura grana dietim augendo exhibeat. Obstat etsi color aethiopis instar niger, qui ejus usu inducitur, noxious tamen non est. Ubi adhibetur, id praesertim respiciendum, ut organa digestio- nis firma nulla labe adfecta sint.

Arsenicum album, quod Alexander, et Masius in epilepsia prodesse observavit, est remedium morbo hoc, etsi periculosissimo adhuc periculosius, hinc experimentatoribus temerariis relinquendum.

Kali carbonicum alternatim cum opio exhibitum, simulque balnea kalina applicata secundum methodum Cel. Stütz, in epilepsiis infantum periculosisimis praesentissimum vitae periculum avertebat.

Acidum sulfuricum et *muriaticum* saepe quidem ad sanationem epilepsiae plurimum conferunt, ideo tamen antiepilepticis, ut quidam faciunt, adnumerandas

non sunt, ex eodem enim principio omnia sere remedia huic nota antpileptica forent. — Idem valet de phosphoro et multis aliis, quae hic silentio praeterero.

Electricitas et *Galvanismus*, quondam, ut dicebatur, omnes sanarunt morbos, hodie proh dolor! in plurimis nocent, aut adminis efoeta sunt, pertinet et epilepsia ad haec — Quid autem de *Magnetismo* minerali et animali sentiendum sit, qua antepileptico multum laudato, aliis decernendum relinquo.

Remedia composita et arcana.

Plenam recensionem omnium pharmacorum compositorum, et arcanorum contra epilepsiam laudatorum dare minime intendo, illa tantum commemorabo, quae magis celebrari novi, quaeve in pharmacopaeis recentioribus non continentur.

Arcanum Bachienii. Rp. Succi rec. exp. Sedi min. Spir. vini $\frac{1}{2}$ Unc. tres. Vesperi summendum.

Electuarium Bissetii. Rp. Flor. Sulph. pulv. rad. Paeoniae et Valer. $\frac{1}{2}$ drach. tres, Cinnabaris antim. drach. duas, Moschi, Castor. moscow. $\frac{1}{2}$ scrup. unum, syr. simpl. q. s. u. f. Elect.

Jusculum antispasticum. Cancrorum fluv. Nro XVI coq. C. s. q. aq. ad jusculum sub finem coct. adde vel rad. valer. sylv. Unc. semis, rad. Angel. et paeoniae, herb. Melissae $\frac{1}{2}$ drach. tres, flor. Naphae, et Tiliae $\frac{1}{2}$ drach. unam, ferri tartarici gran. XXIV, vel Rp. rad. Paeoniae dr. duas, rad. Valer. sylv. — enulae, herb. Melissae — Hyperici $\frac{1}{2}$ dr. unam, Millep. vivent. cont. Nro C, Flor. Tiliae et Convallar. maj. $\frac{1}{2}$ dr. semis.

Electuarium medicorum Viennensium. Rp. Pulv. rad. Dictamni albi Un semis conserv. Menth. Un. duas,

syrup. Menth. q. s. ut f. Elect. S. omni 3 hora uno cochl. coff.

Electuarium Fulleri. Rp. Pulv. cort. Chinæ dr. sex, rad. Serpent. Virg. dr. duas, Syr. Poeonicae q. s. ut f. Elect. Mane et vesperi exhibetur drach. una per 3—4 menses.

Pilulae Fulleri. (Pilules bénites de Fuller.) Constant ex Aloe, pulv. fol. Sennae, Asa foetida, Galbanum, Mirra, Sulfate Ferri, Croco, Oleo Succini, Syr. Artemisiae. Danitur ab 1—6 gran.

Decoctum antiepilepticum Geofroy. Rp. Lign. Visci cont. Un. duas rad. Paeoniae rubr. Un. unam. Aq. com. Unc. tres coq. ad remanent. Un. duarum, sub fine coct. adde rad. valer. sylv. unc. semis, Lilior. convall. flor. Tiliae, herb. galii lutei aa unc. semis, Syr. Paoniae unc. tres.

Pulvis antiepilepticus Geoffroy. Rp. Pulv. lign. Visci querc. Unc. unam, et semis, — rad. Paeoniae rubr. — Valer. sylv. aa Unc. semis — flor. Lilior. convall. — — Tiliae aa scr. quatuor, Kerm. miner. scr. unum, Sal. ammon. Borac. Venet. aa dr. quatuor, Cinnabar. nativ. Sal. sedat. aa Un. semis. MS. Drach. semis cum Syrupo quodam exhibenda.

Pulvis Gutteti (Poudre de Guttéte) Rp. Pulv. rad. Dictam. alb. — cort. Visci querini — rad. contrayer. — Bistort. Virg. — Paeoniae rubr. — Corn. Cerv: ust. — dentis alcis aa dr. duas, — rad. Valer. sylv. Unc. unam Corallior. rubr. — cranii humani aa dr. tres — lap. Hyacinthi dr. unam, Bezoard. occident. dr. unam et semis et orient. scr. unum. M.

Tinctura Langeri. Rp. Asae foetid. scrup. unum solv. in spir. C.C. Un, una S. 30 gutt. in Aqua cum Castoreo. Monet Burserius, remedium hoc plethoricis nonnisi praemissa sanguinis evacuatione exhiberi posse.

Tinctura Locheri. Rp. Camphor. dr. semis. sach. alb. mucilag. gum. arab. aa Unc. semis, solv. in Acet. Vini calefact. Un. quatuor, adde Aq. flor. Sambuci Un. sex, Syr. Papav. rhoead. Unc. unam.

Electuarium Cadet - Gassicourtii. Rp. Pulv. cort. peruv. Un. unam Stanni — rad. Valer. sylv. aa drach. quatuor, Syr. simpl. q. s. ut f. Elect. Per 3 menses mane et vesperi dr. una exhibetur, omni 9-10 die remedium per 24 horas seponitur.

Pulvis Marchionis. Rp. Rad. Paeoniae Unc. tres, Visci quern. rasurae eboris, ungulae alcis, cor. Cervi Spodii, corallior. rubr. et alb. margarit. praep. aa dr. unam, fol. auri Nro XX. M. f. pulvis S. scr. semis usque dr. semis p. d.

Pilulae antispasmodicae Pideriti. Rep. Gum. Asae foetid. Castor. Moscow. aa dr. unam, Acidi succinici conc. dr. semis Ol. animal. Dippel gutt. XX, Trae Mirrae q. s. ut f. m. pill. form. pill. gr. quinque S. 2—5 pilulae exhibentur.

Tinctura antepileptica Pierri Rp. Granor. Kermes Camphorae aa Un. unam, Spir. Vini Unc XX.

Pilulae caerulecae. Rp. Cupri ammoniaci gr. secundum, Micae panis scr. quatuor. Spir. Sal. ammon. q. s. ut f. m. pill. form. pill. uno XXXIII.

Remedium Rhagoloi. Juxta experimenta Knoppii constat ex: Rp. Pnlv. rad. Valer. sylv. dr. una — fol. aurantior. scr. uno Ammonii muriatic. gr. duobus, Ol. Cajeput gutt. quatuor. Exhibetur pulv. semel de die cochl. coff. in tepido infuso; continuetur ejus usus per 6—8 septimanas.

Pilulae Svediauri. Rp. Extr. valer. sylv. — Chinae — aa dr. unam, — Digit. purp. opii gumm. aa dr. semis Mirrae elect. dr. unam, Syr. gum. arab. q. s. ut f. m. pill. form. pill. gr. quartuor, Obducant. fol. arg. D.

Pilulae mercuriales. Trogheri. Rp. Hydrargyri Un. unam solue et exsting. c. Terebinth. dr. sex, adde Agarici muscar. Extr. Rhabarb. aa dr. duas, Aloës soc- cotr. dr. tres. M. f. m. pill. Trogherus ex his pillulis per sex hebdomadas omni altera die exhibuit dr. semis, dein adhuc per sex septimanas omni 4—5 die eandem dosim porrexit.

Mixtura antispasmodica Wanteri. Rp. Gum. As- sae foet. dr. tres, Aq. font. Unc. sex, Syr. Violar. Un. unam, MDS. omni $\frac{1}{2}$ hora 1—2 cochl. coff.

Arcanum Waitzii. Constat ex sex formulis, quas Waitz juxta certas indicationes adhibuit. Nro I. Rp. Magist. Marcasit. pulv. rad. Ipecacuan. aa gr. sex, Sach. albi Unc. semis M. div. in dos. XXIV. aequales. S. Mane et vesperi pulverem unum. Nro II. Rp. Pulv. rad. Valer. sylv. — Calam. arom. — gentian. rubr. aa Unc. semis, sal. ammon. Magist. Bismuthi, aa dr. duas M. Nro III. Rp. Pulv. rad. Valer sylv. — calam. arom. — Galang. — gentiam. rubr. aa Unc. semis Magist. Bismuth. dr. duas M. Nro IV. Rp. Pulv. rad. Valer. sylv. — Acori — gentian. rubr. aa Un. semis, — Cubebar. dr. unam et semis, Mag. Bism. dr. unam. M. Nro V. Rp. Pulv. rad. Calam. arom. — gent. rubr. — Galang. min. aa dr. duas — nucis vomicae dr. unam, Mag. Bism. dr. unam et semis. M. Nro VI. Rp. Pulv. rad. Valer sylv. — Calam. aram. — gent. rubr. — galang. aa Un. semis Sal. ammon. dr. tres. Waitz ipse pulveres hos ita divisit, ut quilibet illorum unum ad summum quatuor grana Magis. Bismuthi contineret, ex quibus dein 2—3 pulveres per diem exhibuit. Juxta Haase princeps ingrediens Arcani Waitzci constituit faba sti Ignatii (Coment. de faba sti Ignatii auct. G. A. Haase, Lipsiae 1822.)

Pulvis antepilepticus Viennensis. Nro I. Pulvis
suber. Rp. Pulv. rad. Paeoniae — corallior. rubr. praep.
aa Un. duas — Unicornu marini; cinnabaris nativæ,
succini praep. aa Un. unam: M. S. scr: semis usque dr:
semis pro dosi. Nro II. Pulvis niger. Rp. Pulv. rad.
Paeoniae dr. decem — dictamni alb. — visci quern.
aa dr. quinque — Lign. Aloës — paeoniae aa dr. tres
Corallior. rubr. praep. — matr. perlarum aa Un. se-
mis — Ungulae Alcis dr. tres, succini albi praep. —
Unicornu marini aa dr. duas, carbon. Tiliae Unc. u-
nam et semis fol. auri Nro. XX. MS. a gr. quinque
usque dr. unnam.

Tandem:

Vidi in numerosis casibus adversus epilepsiam
adhiberi Pulverem Indigo genuini; — substan-
tiam hanc usitatissimam apud tintores (quorum cu-
tim tunc tantum coeruleo tingit fuso, si homo recte
valeat, penitus immuni relicto aegrotantis dermate) lu-
cramur hinc inde ex Indigofera tinctoria et
Argentea Lin., alibi ex Nerio tinctorio, sed
etiam e Marsdenia tinctoria, Polygono
tinctorio, et chinensi, et ex Indigofera
coerulea. Occurrunt in quaestu species ejus, quo-
ad nomen, qualitatem et praetium diversissimae (super
quibus Volkeri Handbuch der material- und Droguerie-
Waarenkunde ait: Indig consulere juvabit). — Che-
micae quoque analyses minime desiderantur: locuple-
tissimas ex illis quae mihi innotuerunt puto eas esse,
quas Guillemin (in Dictionnaire des drogues sim-
ples et composées Tom. III. pag. 225 — 236) pu-
blicas reddidit.

In epilepsiae specie illa quam brevitatis causa hic
tantum dynamicam nuncupo, — sic et in eclampsia

paryulorum dummodo materiali causa careat, et in vehementissimis spasmis clonicis Indigo debite, et (in epilepsia praecipue) perseveranter propinatum; aut insigne adfert levamen, aut — (vivunt exempla!) — morbum omnem tollit penitus; est autem remedium hoc tanto majori commendatione dignum, cum ad plures licet libras corpori ingestum, damnum attulerit nunquam. Primis sumptionis diebus lenem provocat diarrhoeam, tardius cum organismus neoterico pharma-co paulisper adsvevit, silet et haec, et ab unciis duabus unius diei decursu exhibitis vix alia sequitur sensibilis organismi reactio, si coeruleo colore tinctum sudorem, ejusdemque coloris foeces demam.

Aeger, quantum fieri potest subtrahitur potentius nocentibus, si opus est purgantur primae viae, poscentibus rerum adjunctis evacuantur congrua quantitas sanguinis. Sub curativae curae initio, aegro qui pubertatis annos jam superavit, sexies et octies per diem porrigitur Drachma semis Pulveris Indigo genuini sine ullo additamento; (junioribus individuis sufficiet proportionata minor dosis;) ascenditur successiye ad doses octo per diem, quarum quaelibet Drachmam integrum ponderet. — Si mitiores aut rariores redeant paroxysmi, tunc sine mutatione dosis eadem medicinae ingrerenda, et etiamsi penitus cessaverint insultus, tamen per semestre administrus unum quater per diem porrigna pulveris Indigo Drachma una. —

Hac methodo (elapso jam triennio) integrum sanitatum nosco hujatem C. E. W. — et aeternum memor ero status huicdum vix auditum in Sümeghiensi Dominicella L. G. —, quam etiam summi quoad res medicas in Patria Hungara arbitri inspexere. — Describere statum hunc limites laboris mei excederet, nec delinquare sufficerem, quomodonam solennes, dicto maiores, incredibili tamen modo typum servantes centum

spasmos mille convulsionum species exceperint, cata-
meniis tamen praesentibus, et normaliter recurrenti-
bus; sensilis stomachus nullum tulit medicamentum,
coepito tentamine ipsum Pulverem Indigo non sine mo-
lestiis; post breve tempus auctiori etiam dosi, et ite-
rum auctiori ventriculo affine redditum pharmactum,
per tres anni quadrantes sedulo repetitum morbuni
sufflocavit omnem. Inde a biennio corpore et animo sa-
nissima est aegra. Nunc observo Chirurgiae alumnum M.,
qui breviore tantum tempore remedio laudato utitur
gloriabundus, quod nullum Therapiae genus tam diu
durantem intermissionem horridorum quibus affligebatur
paroxysmorum procurare potuerit. —

Remedium, quod propono penitus novum est,
huicdum a niemine adhibitum, nec alio prius dictum ore;
illud orbi Medico ea qua pars est cum rever-
entia pro ulteriore indagine commendare sustineo;
sententiam super invento feret ille, qui in Therapia
Medica unicus et veridicus est index: multiplex
nempe et sincera experientia. —

Mihi (etiamsi Nestoris annos attingere concederet
Deus O. M.) dulcius non erit quidquam, nec amplio-
rem mea mente concipere valeo mercedem, quam si
hac mea publicatione factum fuerit, ut vel unicus in-
felix epilepticus societati humanae, familiae, Patriae
restituatur.

Quod hodie exemplis tuemur, inter exempla crit. —

TACITUS.

T h e s s.

1.

Vires medicatrices non aestimans medicus aegrotis damnosus.

2.

Solus nervorum stimulus humorum conditionem alterare valet.

3.

Processus infectionis analogus generationi.

4.

Prout Anatomia comparativa Physiologiae, ita Pathologica Therapiae insigni est adjumento.

5.

Rete Malpighii et sistema hiliosum intimo nexu gaudent, quod multi morbi cutanei demonstrant.

6.

Phantasia multorum morborum mater, et medela.

7.

Inflammationis processus natura sua semper idem, per variam textuum organicorum naturam modificatur diversimode.

8.

Sthenocardia perperam refertur ad morbos organicos, dynamicis enim morbis adnumeranda venit.

9.

Syphilidem specificis remediis suffocare oportet.

10.

Chirurgiae basis anatomia est.

11.

Temerarias operationes chirurgicas suscipere valorem Chirurgi minime auget.

12.

Gastrohysterotomia Synchondrotomiae est praeferranda.

13.

Praecipitata per acidum hydrothionicum producta non sunt semper sulfureta.

14.

Ophtalmia aegyptiaca verus ophtalmocatarrhus est.

